

De Caesaris codicibus interpolatis.

Pars prior.

Perlustranti mihi discrepantes lectiones, quas ex multis ac variis codicibus Caesarianis excussas viri docti in lucem protulerunt, operae pretium esse videbatur, lectiones codicum interpolatorum, qui vulgo dicuntur, accuratius perspicere et inquirere, quantum ad emendandos libros de bello Gallico conscriptos valeant. Nam postquam Apitz (Sched. crit. in comm. de b. gall. Lips. 1835) et Nipperdey in praefatione editionis suae p. 37 sq. de codicibus Caesaris disseruerunt, etsi inter omnes constat codices integros, quos vocant, in constituendis Caesaris commentariis imprimis audiendos esse, tamen nondum satis exploratum habemus, quatenus interpolatis sit obtemperandum codicibus. Qua in re editores recentioris memoriae non eandem sunt ingressi rationem. Nam ut ab iis incipiam, qui nimiam auctoritatem integris codicibus tribuerunt, Nipperdey et Frigell, quorum alter imprimis Bongarsianum I alter Parisinum I secutus est, lectiones codicum interpolatorum fere respuerunt. At hos codices non prorsus neglegendos esse cum Nipperdeio tum Frigellio uti licet testibus, qui etsi satis magna constantia egerunt, tamen nonnullis locis lectiones horum codicum receperunt et iis quoque locis, ubi ea, quae codices integri servant, optime defendi potuerunt cf. Heller Philol. XIX p. 470. Ut Nipperdeium Kraner, ita Frigellium Dübner est secutus, quorum editiones iisdem fere commodis et vitiis atque illorum insignes sunt. Nec silentio praetereundum est Dübnerum, quamvis eandem rationem atque Frigell ingressus sit, tamen minore constantia in libris recensendis versatum esse, qua de re Heller (Philol. XXXI p. 317 et saepius) eum obiurgat. His criticis praeter E. Hoffmannum etiam Vielhaberum adnumero, qui libros Caesarianos non edidit, egregias quidem commentationes de iis recensendis in annalibus gymn. austr. conscripsit. Hunc saepius nimia pertinacia etiam ineptas lectiones codicum integrorum tueri studere, cognosces ex iis quae de I. 40. 8 et V. 25. 3. (l. c. XV p. 35 et XVIII p. 233) disputavit. Contra Whitte et Schneider mediam viam ingressi utriusque generi codicum obsequendum esse censuerunt et haud ita paucis locis, praecipue in septimo et octavo libro, lectiones eorum codicum recipere non veriti sunt, id quod Heller (Philol. XIX p. 507) Schneidero non crimini sed laudi vertit. Hic vir de Caesaris commentariis emendandis optime meritus codicibus interpolatis auctoritatem omnino non abrogandam esse iterum ac saepius docuit earumque in restituendis verbis saepius rationem haberi iussit (Philol. XIX p. 507 et XXXI p. 528). Quod praeceptum secuti Dinter, Prammer, Holder, ut codices integros praestantiores duxerunt, ita inter-

polatos minime neglexerunt eorumque scripturas haud ita raro sunt amplexi. Sane quidem saepe difficillimum est diiudicare, utrum genus codicum genuina scriptoris verba servaverint; nec mirum quod multis locis suae voluntati atque arbitrio inserviverunt editores.

Cum igitur mihi propositum sit, ut de codicibus interpolatis disputem et quae virtutes quaeque vitia in iis insint, disseram, priusquam eos codices in quaestionem vocabo, quam brevissime generatim de codicibus, qui ad commentationem meam pertinebunt, verba faciam. Atque tria esse genera codicum Caesarianorum Heller (Philol. XVII p. 492 sq.) cum ex eis, quibus inter se differunt, tum ex lacunis, quae in iis inveniuntur, sagacissime collegit, genus integrum vel lacunosum, mixtum, interpolatum. Codices autem, qui primi generis sunt, ita inter se discrepant, ut in complures familias sint distribuendi, quarum primae cod. Bongarsianus I vel Amstelodamensis (**A**) ejusque affinis cod. Moissacensis (**M**), alteri codex Parisinus I (**B**) ejusque simillimus cod. Vaticanus 3864 vel Romanus (**R**), et si Helleri auctoritatem sequimur, cod. Vossianus I (**C**), de quo infra dicemus, adnumerantur. Reliquos codices huius generis et ei, qui generi mixto ascribuntur, quippe qui minore sint auctoritate, enumerare supersedeo. Tertii autem generis, quod vulgo interpolatum vocatur, hi sunt codices: Parisinus II, Frigellii Thuaneus (**a**), Leidensis I (**b**), Scaligeranus (**c**), Cuiacianus (**d**), Hauniensis I (**e**), Vindobonensis I (**f**), Ursinianus (**g**), Andinus (**h**), Oxoniensis (**i**). Codex Parisinus II et Ursinianus, archetypi tanquam traduces, agmen interpolatorum ducunt et longe sunt eorum praestantissimi; cod. Leidensis I multis locis prope accedit ad Parisinum II, sed non ita, ut ex eo ipso traductus esse videatur; saepius enim cum codicibus integris conspirantem non iniuria mixtis adnumerari posse infra ostendam. Cod. Hauniensis I, quem Whitte in commentatione quae annalibus gymn. Roennensis 1847 addita est, diligenter contulit, sine dubio apographus est cod. Ursiniani, quocum plurimis locis consentit; Cod. Vindobonensis I, quam Schneider accuratius inspexit, suis virtutibus non caret; reliquos codices huius generis nondum satis diligenter excussos esse valde dolendum est et eo magis, quod cod. Andinus et Oxoniensis, quos alterum alteri simillimos fuisse Oudendorpius praef. p. VIII contendit, et cod. Scaligeranus ubi his temporibus sint, lateat.

At quamquam complurium codicum et integrorum et interpolatorum lectiones accurate collectas habemus, tamen non mirum videbitur, non semper quid ubique legatur, inter eos, qui codices excusserunt, convenire, cum in litteris saepenumero obscuratis oculi facile fallere possint. Quod ita esse, cum ex variis lectionibus ipsis et iis quae Vielhaber (Ztschft. f. östr. Gymn. XV. p. 29 sq.) et Koch (Ztschft. für Gymnasialwesen XV. p. 592 sq.) de ea re disputaverunt, cognosces. Huc accedit, quod non omnes critici de codicibus idem sentiebant, et ut quisque eorum praestantior videbatur, eo uberius ejus lectiones referrebantur. Maxime hoc ad codices interpolatos pertinet, nec facile, quid ubique vetustum illud exemplar interpolatum exhibuerit, cognoscitur. Adde quod etiam librarii horum codicum saepius ex libidine aut neglegentia verba describenda commutaverunt, ita ut haud ita raro alii codices ab aliis recedant: requires mecum librum, qui non solum omnibus lectionibus, quas superiores critici collegerunt, instructus sit, sed quid codicum integrorum, quid interpolatorum sit, distincte atque accurate referat.

Sed priusquam explorare instituiam, quae conditio inter codices integros et interpolatos intercedat, de iustis interpolatorum lectionibus accuratius videtur disserendum.

Et quoniam cod. Parisinum II et Ursinianum longe optimos sui generis esse pro certo habemus, in consensione horum codicum inprimis lectionem interpolatorum cerni quis est qui neget? At tanta horum codicum discrepantia illa quaestio valde impedita est, et ubi hi dissentiunt, animadvertendum est, uter pluribus locis, quibus non calami lapsus librarii deprehenditur, sed verba consulto mutata sunt, cum aliis interpolatis consentiat, et quae lectio complurium codicum eiusdem generis communis est, ea interpolatorum ducenda est. Sed ut certam lectionem interpolatorum indagandi rationem me secutum esse appareat, ex prioribus duobus libris eos locos, ubi cod. Parisinus II et Ursinianus dissentiunt, quoad ejus fieri poterit, afferam simulque cod. integrorum rationem habebō, ut uter codex, Parisinus II an Ursinianus, alteri generi sit similior, eluceat.*) I. 11. 3. p. r. (i. e. populi romani) **abde** sui **f]** nisi **g.** — I. 12. 4. partes vel pagos **abf]** pagos **eg** cum integris. — I. 13. 3. egit. Si **aC,** **) fortasse **f,** quod ex Schneideri silentio colligas] egit. Legati ab Helvetiis ad Caesarem missi pacem petitum. cum denuntiatione terroris. Si **eg** cum integris. — I. 14. 3. Quod si **aC** cum reliquis] Qui si **g.** — I. 17. 3. praeferre **abf]** perferre **gC.** — I. 17. 6. quanto id cum periculo **aeC]** quanto id periculo **g.** — I. 21. 1. et qualis **aeCAM]** et quales **gBR.** — I. 25. 6. circumvenere **aCABR]** circumvenire **egM.** — I. 27. 4. deditionum **a]** dedicionum **fgCBB.** — I. 30. 2. tametsi **aAM]** iam et si **egCBB.** — I. 31. 15. sint **aCAM** fuerint **b]** sunt **egBR.** — I. 37. 1. Treveris **afAM]** Treviris **egCBB.** — I. 39. 6. magnitudinem **aAMBR]** et magnitudinem **egC.** — I. 40. 3. aequitate conditionum **aAMBR]** aequitate et conditione **bcdegC.** — I. 40. 7. eosdem **aAMBR]** germanos **eg.** — I. 40. 8. repperire **aeC]** repperiri **gAMBR.** — I. 40. 10. conferret **aCAMBR]** conferrent **efg.** — I. 40. 13. perpetua vitae felicitate **aCABR]** perpetuam vitae felicitatem **efg.** — I. 40. 14. repraesentaturum **aABR]** repraesentaturum esse **egC.** — I. 43. 3. ut ad **aCAMBR]** ad **eg.** — I. 43. 6. dicebat **ab** dicebat al' referebat **d]** referebat **eg.** — I. 44. 9. ipsos **ab]** ipsis **egCAMBR.** — I. 45. 3. antiquissimum **abAMBR]** antiquissimum esse in Gallia (in Galliam **C**) imperium **egC.** — I. 46. 1. ad nostros **aC** cum integris] nostros **bdefg.** — I. 46. 4. militum **abe** cum integris] equitum **g.** — I. 47. 6. apud se in castris **aCAMBR]** in castris **bdeg.** — I. 49. 3. munitiones **ab]** munitione **egC.** — I. 50. 2. oppugnaret **a** cum integris] oppugnarent **beg.** — I. 51. 2. constituerunt **ab** cum integris] instituerunt **egC.** — II. 1. 1. supra **ab** cum integris] om. **efg.** — II. 3. 1. Andebrogium **afA]** Andocumborium **egC** cum integris Andecomborium **d.** — II. 3. 5. et isdem **aCA]** eisdem **efg.** — II. 4. 9. VIII **ab]** VIII **eg.** — II. 6. 3. nulla potestas esset **ab]** potestas esset nulli **eg.** — II. 10. 4. undique **a** cum integris] ubique **eg.** — II. 15. 2. conlatis **afAMB]** conlocatis **egR.** — II. 15. 5. dededissent **a** dedidissent **bm]** dedissent **gCABR.** — II. 17. 4. differebant **aA** differebat **B]** deferebant **eg.** — ibid. quod **ab]** quo **egC** cum integris. — II. 19. 2. quoad hostes **ae]** quoad hostis **bdfg.** — II. 20. 2. Quarum rerum **a** cum integris] Qua de re **eg.** — II. 23. 1. acie **abf** cum integris] aciei **egC.** — II. 23. 2. resistentes **a** cum integris] regressos ac resistentes **befg.** — II. 23. 4. ab ea intervallo **a]** ab

*) In enumerandis variis lectionibus eas, quae genuinae mihi videntur, ubique expressioribus literis describendas curavi. Loci secundum editionem Holderi citantur.

**) Cum codex Vossianus I. (C) in prioribus duobus libris interpolatorum sit, ut infra docebo, his eum ascripsi.

intervallo **eg**. — II. 29. 4. per provinciam **ab** per previntiam **e**] provinciam **g**. — II. 30. 3. instrueretur **a** cum integris] institueretur **cdefgi**. — II. 34. maritimae **a** cum integris] maritume **g**. — II. 35. 3. Turonesque quae **aC**] Turones queque **egA**. — II. 35. 3. hibernia **a**] hiberna **eg**. Praecipue in his duobus libris inter codices Parisinum II et Ursinianum dissensio esse videtur, et saepe ille codex cum integris **AM**, hic cum codicibus **BR** convenit, id quod etiam VII. 24. 4. reliquasque **abAM**] reliquas **egBRC**. — VII. 59. 4. Agedincum **aAM**] Egedincum **egBRC**. — VII. 59. 5. instabant **aAM**] instabat **efgBRC** statuendum est. Rarius cod. Ursinianus eandem scripturam exhibet atque cod. **AM** velut V. 17. 3. quod subsidio **efgAM** quoad subsidio **dhi**] quo subsidio **abBR**. — VII. 58. 2. Metiosedum **ai** Meciosedum **f**] Mellodunum **egAM**. — VIII. 50. 2. decentis **aBR**] decedentis **eg**. — Ex reliquis libris eas tantum lectiones proferre satis habeo, in quibus major discrepantia codicum **a** et **g** cernitur, velut III. 7. 3. frumenti causa **a** cum integris] frumenti commeatusque petendi causa **bcdehi**. — V. 20. 1. in ea civitate **a** cum integris] iniannuetitius in ea civitate **eg** in ianuae tutus **f**. — VI. 43. 4. conspicerent **acd**] circumspicerent **eg** cum integris. — VII. 11. 4. mitterent **aAMB**] committerent **eg**. — VII. 15. 1. haec **abf**] ac **egBRC**. — VII. 22. 1. tradantur **abcdfi**] traduntur **eg** cum integris. — VII. 27. 1. perfectisque **abcdhi**] directisque **egBRCM**. — VIII. 48. 3. omnium suorum **ab**] repente omnium suorum **eg**. — VIII. 48. 7. percussi **aeB**] percussi **g**. — VIII. 51. 3. opulentiores **a**] humiliores **egAM** meliores **BR**. Merito igitur atque optimo iure, ubi cod. Parisinus II et Ursinianus inter se dissentiunt, eam lectionem codicum interpolatorum esse duxeris, quae in alterutro et in aliis codicibus ejusdem generis inveniuntur; et cum cod. **g**. saepius quam cod. **a** ab integris recedat et iis locis, qui interpolationem tanquam redolent, vix dubitari potest, quin ille naturam atque indolem sui generis sincerius retinuerit; ergo maxime ex consensione huius codicis cum aliis integris verba vetusti exemplaris, quod periit, restituenda sunt.

His praemissis ut codicum interpolatorum natura atque indoles cognoscas, quae ratio vel cognatio inter hos et codices integros intercedat, accuratius disserere instituiam. Cunctos codices Caesarianos ex eodem archetypo tanquam ex communi fonte fluxisse, ex copia non exigua additamentorum et mendorum, quae in omnibus reperiuntur, colligi potest; huc accedit, quod ea, quae ad calcem librorum in optimis codicibus leguntur: „Julius Celsus Constantinus VC (i. e. vicies) legi“ et ea, quae libro secundo adduntur: „Flavius Licinius Firminus Lupicinus legi“ a codicibus interpolatis non absunt; nam paucis mutatis non solum in codice Parisino II a secunda manu primo et secundo libro ascripta sunt, sed etiam in codice Ursiniano in fine libri septimi et octavi exstant; in eodem codice (I. 47. 4.) pro „C“ (i. e. Gaio) „Celso“ in textum ipsum irrepsit; nec silentio praetermittendum est illas subscriptiones etiam in cod. Scaligerano, Andino, Oxoniensi reperiri. Quae cum ita sint, non dubitandum est, quin codices interpolati ex eodem archetypo atque integri originem duxerint (cf. Whitte cd. I. p. 4. Nipperdey praef. 38). Has igitur subscriptiones, quae Constantinum Celsum „VC“ i. e. vicies libros testantur legisse, consideranti mihi suspicio incidit commentarios Caesaris et ab illo viro et a Flavio Lupicino, cuius nomen ad calcem secundi libri legitur, ita retractatos esse, ut verba Caesaris, quae quidem corrupta viderentur, emendarint et salebras sustulerint et fortasse Caesaris dictionem ad elegantiam orationis Ciceronianae revocare studuerint cf. Vielhaber Z. f. ö. G. XVIII p. 620, qui

quamquam lectionum cod. integrorum tenacissimus est, tamen haec dicit: „Durch solche Erscheinungen aber im Zusammenhange mit der eigentümlichen Beschaffenheit der Subscriptionen, die sich aus dem Frigell'schen Apparat ergibt, wird die Sicherheit, dass man mit dem Texte der sogenannten Integri dem echten Cäsarianischen am nächsten komme, mindestens nicht erhöht.“ Verum hanc quaestionem, quam sustinere non possumus, missam faciam et ad rationem, quae inter codices interpolatos et integros intercedat, disputationem referam. Cum codices alteri ab alteris plus quingentis locis iisque non levibus dissentiant, alterum librarium qui archetypum transcripsit, minus diligenter ac religiose munere suo functum esse apparet, et si quis tantum obiter varias lectiones codicum comparaverit, facile intellet librarium ejus exemplaris, unde codices interpolati oriundi sunt, persaepe suo ingenio indulsisse et plurimis locis tradita verba ita mutasse, ut in negotio suo ratione ac consilio quodam usus esse videatur, cuius rei exempla in altera dissertatione, ubi de erroribus ac vitiis cod. interpolatorum uberius atque accuratius disputabo, permulta afferam; hic nonnullas interpolationes insignes atque apertas enumerare satis erit, velut I. 40. 10. auderent] viderentur. — I. 44. 4. si pacem mallerent] si pace uti velint. — I. 46. 3. commissum cum equitatu proelium] cum equitatu proelium. — I. 53. 7. cremaretur] necaretur. II. 2. 5. duodecimo die proficisceretur] proficisceretur. II. 2. 6. provisa] comparata. II. 8. 2. sollicitationibus exquirebat] periclitabatur. II. 19. 5. quae ante] sex quae primae. II. 20. 2. incursus] successus. II. 23. 2. in fugam dederunt] in fugam coiecerunt. II. 31. 2. promovere et ex propinquitate pugnare] promovere. II. 32. 4. compertum] perspectum. II. 33. 2. non inducturos] deducturos. II. 35. 2. initio primae aestatis] inita proxima aestate. III. 10. 3. libertatis studiose incitari.] libertati studere. III. 13. 7. pulsu remorum incitatione] pulsu remorum. III. 15. 4. fuit opportunitati] fuit opportuna. III. 22. 4. mortem recusaret] mori recusaret. IV. 4. 7. qui in suis sedibus erat] erat. — IV. 5. 3. his rumoribus] his rebus. IV. 12. 1. erant trans Mosam profecti] ierant trans Mosam. IV. 16. 7. exercitus romani] ejus exercitus. IV. 17. 10. naves deiciendi operis causa] naves deiciendi operis. IV. 22. 3. quicquid] quod. IV. 23. 3. adeo] atque ita. IV. 27. 7. commendarunt] commendare coeperunt. IV. 29. 4. ad reficiendas eas] ad reficiendas naves. IV. 30. 1. post proelium factum ad ea, quae iusserat Caesar, facienda] post proelium ad Caesarem. V. 1. 1. instituerat] consuevit. V. 1. 2. uti adsueverant] utimur. V. 3. 3. futuros confirmat] futuros. V. 3. 5. auctoritate] familiaritate. V. 8. 1. fierent] gererentur. V. 10. 2. in litus] in litore. V. 11. 7. quae ante praesidio navibus fuerant] quas ante, praesidio navibus. V. 13. 2. Hibernia insula] Hibernia. V. 14. 2. horribiliores] horridiores. V. 14. 5. virgines quaeque ductae sunt] virgo quaeque deducta est. V. 16. 1. armaturae] armorum. V. 17. 4. ex equis] ex essedis. V. 19. 2. effunderet] eiecerat. V. 22. 4. hiemem agere] hiemare. V. 22. 5. bellum faciat] noceat. — V. 26. 2. ad castra oppugnanda] ad castra oppugnatum. V. 32. 2. nostrorum] nostris. V. 33. 2. cogitasse videretur] cogitasset. V. 33. 3. scire] providere. V. 35. 4. a confertis vitari] conferti vitare. V. 35. 5. tam multis] tot. V. 35. 5. pugnassent] pugnaretur. V. 36. 3. constitit] perseverat. V. 43. 3. insecuti quasi] sicuti. V. 44. 6. protegunt hostes, in illum universi tela] protegunt, in hostem tela universi. V. 47. 1. progreditur] procedit.

— V. 49. 5. vallem magnam] vallem. V. 50. 3. feri] efficere. V. 54. 1. cum scriret deficere] cum se scire, quae fierent, . . . denuntiaret. V. 56. 2. coguntur] consuerunt. V. 56. 3. iudicandum curat] indicat. V. 56. 5. iter facturum] iturum. V. 57. 2. circummittit] nuntios mittit. V. 58. 4. quisquam alium] quis quem. — Reliquorum librorum interpolationes proferre in praesentia omitto, cum satis ex iis, quas attuli, appareat librarium illum ex arbitrio ac libidine partim verba et enuntiata mutasse, partim nonnulla de suo addidisse, ita ut non iniuria apographi huius exemplaris codices interpolati nominentur. Ab initio quidem librarius ille, ne dicam existimator, mutandi cupidini videtur moderatus esse, sed quo longius in describendis libris progressus est, eo licentius egit et eo minus verba scriptoris ipsa mutare veritus est, id quod facile intelleges, si numerum mutationum, quae in singulis libris inveniuntur, et rationem interpolandi respexeris.

Sed utriusque generis codices etsi satis magnam dissimilitudinem prae se ferunt, ut utrius generis singuli sint, facile cognoscatur, tamen non eadem ratio inter eos intercedit, et cod. integrorum alii magis quam alii cum interpolatis congruunt. Atque maxima inter cod. Vossianum I et interpolatos cernitur similitudo, quae ad priores duos libros pertinet. Lectiones, quae iis communes sunt, hae inveniuntur:*) I. 5. 3. praeter] praeterquam — I. 5. 3. mensium] mensum — I. 14. 3. Allobroges] Allobrogas — I. 18. 3. dicente] licente — ibid. dicere] liceri. — I. 33. 2. deditio] ditione — I. 38. 1. processisse] profecisse — I. 38. 5. ejus montis] montis. — I. 39. 1. Cum] Dum — I. 39. 5. quique] ut quisque — I. 39. 7. renuntiabant] nuntiarant. — I. 40. 5. quam] quae. — I. 40. 6. inermes] inermos. — I. 40. 7. in suis sedibus] in suis. — I. 40. 7. superassent] superarint. — I. 40. 8. hos. . repperire] hoc. . repperiri. — I. 40. 10. simulatione] simulationem. — ibid. itinerum] itineris. — ibid. auderent] viderentur. — I. 40. 14. esset] fuisset. — ibid. plus valeret] valeret. — I. 41. 3. uti per eos] uti. — ibid. neque unquam] nec unquam. — I. 42. 6. Caesarem facere] Caesarem ei facere. — ibid. pollicitum esse] pollicitum. — I. 43. 2. devexerat] vexerat. — I. 43. 3. adducerent] adduceret. — I. 43. 5. quando] cum — I. 43. 9. eadem deinde] eadem. — I. 44. 4. dependenter] pependerit. — I. 44. 6. testimonio] testimonium. — I. 44. 11. pro hoste] hoste. — I. 46. 2. fecit] facit. — I. 46. 3. commissum cum equitatu proelium] cum equitatu proelium. — I. 47. 4. C. Valeri] Convaleri **MR**, C. Valerii **A** (**B** in rasura trium literarum C.). — I. 49. 3. perterrere] terrere. — I. 49. 5. reliquas legiones] reliquas. — I. 50. 1. hostibusque] hostibus. — I. 51. 1. praesidio] praesidium. — I. 51. 2. instituerunt] constituerunt. — ibid. paribusque] paribus — I. 51. 3. proficiscentes milites] proficiscentes. — I. 52. 5. phalangam] phalangas. — I. 52. 7. intra] inter. — ibid. tertiam partem] tertiam aciem. — I. 53. 1. pervenerunt] pervenerint. — I. 53. 4. eduxerat] duxerat. — I. 53. 5. hostium equitatum] hostis equitatu. — I. 53. 6. videbat] viderat. — I. 53. 7. ter sortibus] tergoribus. — II. 2. 1. ineunte] inita. — II. 2. 4. exercitus] exercitum. — II. 2. 5. duodecimo die proficisceretur] proficisceretur. — II. 3. 1. civitatis suae] civitatis. — II. 4. 6. fines latissimos] latissimos. — II. 4. 10. Condruos] Condruosos. — II. 5. 5. possent] posset. — II. 7. 1. isdem] hisdem. — ibid. Balearesque] Baleares. — II. 8. 2. sollicitationibus exquirebat] periclitabatur.

*) Quae unci praecedunt, cod. Vossiani I. et interpolatorum sunt lectiones.

II. 8. 3. castigatus] castigatus castratus. — II. 10. 5. Divitiacum quoque] Divitiacum. — II. 11. 6. sequi destiterunt] destiterunt. — II. 14. 3. a Caesare] ab Caesare. — II. 16. 4. inutiles esse] inutiles. — II. 17. 4. cum equitatu] equitatu. — ibid. inflexis crebrisque] om. integri. — ibid. posset] possit. — II. 18. 2. a superiore] ab superiore. — ibid. posset] possit. — II. 19. 6. ita ut . . . constituerant] ut . . . ita constituerant. — II. 19. 7. perturbatis] proturbatis. — II. 21. 2. est cohortatus] cohortatus. — II. 21. 5. detrahenda] detrudenda. — II. 24. 2. ab decumana] decumana — II. 24. 4. a civitate] ab civitate — II. 25. 1. a novissimis] ab novissimis. — II. 29. 4. praesidio] praesidium. — II. 31. 2. se existimare] existimare. — ibid. promovere et ex propinquitate pugnare] promovere. — II. 32. 1. Quibus ad haec] Ad haec. — II. 32. 2. in Nervios] in Nerviiis. — II. 33. 2. repente] repentino. — II. 35. 1. quae] qui. — III. 1. 6. hic] hinc. — ibid. ab illis] ab his. — III. 2. 3. absentibus propter] propter. — III. 3. 1. et 2. concilio] consilio. — III. 7. 3. qui in Andibus] in Andibus. — III. 9. 1. Ligeri] Ligere. — III. 19. 3. defatigatione] defetigatione. — IV. 1. 4. ex causa] causa. — IV. 9. 2. impetrari] imperari **A** imperare **B**. — IV. 23. 2. diei circiter] circiter diei. — V. 14. 1. ex his] ex iis. — V. 23. 2. his] iis. — V. 35. 3. ab his] ab iis. — VI. 1. 4. hiemen] hiemem. — VII. 7. 2. Narbonam] Narbonem. — VII. 24. 4. materiam] materiem. — VII. 77. 8. LXXX] LXXXX. — VIII. 14. 4. a lateribus] ab lateribus. Ex his lectionibus, quae sit conditio cod. Vossiani I, nemo est, qui non intellegat. Nam cum in prioribus duobus libris saepissime simul cum cod. interpolatis ab iis, quae in cod. integris leguntur, recedat, in reliquis vero rarissime et in nugatoriis quidem rebus, non dubium est, quin illi libri ex exemplari interpolato, reliqui ex integro descripti sint. Neque recte Heller Philol. XVII p. 500 cod. Vossianum a secunda demum manu ex interpolatis emendatum esse docuit; nam lectionum, quas multas cum cod. interpolatis consentientes ex prioribus libris attuli, quamvis fortasse non desint, quae a prima manu ita ut vestigia in erasis literis vix appareant, correctae esse Gudii auctore Nipperdey p. 41 monuit, tamen longe plurimae non correctoris, sed librarii ipsius videntur esse, id quod ex silentio Frigellii et Dübneri colligas. Ubi vero in posterioribus libris ille codex easdem lectiones, quas interpolati, exhibet, librarios casu ac fortuito in idem incidisse statuendum est. Atque interpolatum illud exemplar, unde cod. Vossianus partim transcriptum est, simillimum fuisse exemplari, a quo cod. Parisinus II originem ducit, cum ex aliis, tum ex eo elucet, quod ambo codices, quae I. 13. 3. falso addita sunt verba: „Legati ab Helvetiis ad Caesarem missi pacem petitum. cum denuntiatione terroris“ non afferunt. In posterioribus libris, ubi cod. Vossianus I exemplar integrum sequitur, saepius cum cod. Parisino I et Romano quam cum Bongarsiano I conspirat; et in cod. Parisino I saepenumero verba ex Vossiano et interpolatis cum eo consentientibus a secunda manu correctae esse ex collationibus Frigellii et Holderi facile cognoscas, velut I. 33. 2. I. 39. 1. 5. 7. II. 19. 6. II. 24. 2. alibi.

In simili fere conditione cod. Leidensis I versatur, qui quamquam codicibus interpolatis adnumeratur, tamen iterum ac saepius a codicibus sui generis recedit et cum integris conspirat, quae non ad singulos libros pertinet consensio, sed in omnibus commentariis cernitur. Cuius rei exempla haec sunt: I. 43. 1. cod. Leid. I cum integr.*) Ariovisti et

*) Quae lectio cod. Leidensis I et integrorum est, ubique priorem locum tenet.

Caesaris] interpol. utriusque. — I. 43. 4. ubi] ut. — ibid. commemoravit] praedicavit. — I. 47. 4. Gaium Valerium] Valerium. — Ibid. et propter fidem et propter linguae gallicae scientiam, qua multa iam Ariovistus longinqua consuetudine utebatur] quorum amicitia iam Ariovistus longinqua consuetudine utebatur et propter fidem et propter linguae gallicae scientiam. — ibid. utebatur] usus erat. — I. 50. 5. novam lunam] nonam lunam. — I. 52. 6. conversa] coniecta. — I. 53. 4. utraeque. . perierunt] utraque. . periit. — II. 1. 3. noluerant] nollent. — II. 3. 5. cis Rhenum] ripas Rheni. — ibid. imperium unumque] om. interpolati. — II. 8. 3. occupare] tenere. — ibid. obduxit] duxit. — II. 9. 4. traducere] transducere. — II. 17. 4. possit] posset. — II. 23. 4. ab ea intervallo] ab intervallo. — II. 27. 1. tum calones. . occurrerunt] calones. . occurrerent. — II. 27. 2. pugnant] pugnae. — II. 27. 5. ausos esse] ausi (aut si **ag**) quod essent. — II. 29. 4. custodiam] custodiae. — II. 30. 2. vallo pedum in circuitu quindecim] vallo pedum XII. in circuitu XV. — III. 9. 6. acciderent **bM** acciderant **ABCR**] accederent. — III. 12. 1. accedit] accidit. — III. 13. 9. rei relictæ] relictæ. — III. 18. 7. arma] copiam. — IV. 1. 10. quicquam] om. interpol. — IV. 4. 7. quae citra Rhenum erat] quae citra Rhenum in suis sedibus erat. — V. 23. 4. reficerentur] reicerentur. — V. 24. 3. Quintum] om. interpol. — V. 36. 3. perseverat] constitit. — VI. 1. 3. resarciri] sarciri. — VI. 5. 3. concertaturum **bAM** concertaturum tenturum **BCR**] contenturum. — VI. 8. 7. receperunt] contulerunt. — VI. 9. 2. una] altera. — VI. 12. 5. imperfecta] infecta. — VI. 23. 2. expulsos] expulso **a** expulsis **eg** simul cum cod. **BR**. — VI. 34. 2. ubicumque] ubi cuique. VI. 34. 6. vellent] vellet. — VI. 43. 2. incendebantur] incendebantur. Pecora interficiebantur. — VII. 58. 3. Sequanae **bAM**] Sequana. — VII. 71. 3. hostibus in cruciatum] in cruciatum hostibus. — VII. 77. 8. Quid in hominum] Quid hominum. — VII. 77. 10. Romanorum animos] Romanos. — ibid. sine causa] animine causa. — VII. 78. 2. illo tamen tempore potius] illo tamen potius. — Hae lectiones satis sunt testimonio codicem Leidensem I non temere in interpolatis ducendum, sed cum modo cod. integros, modo interpolatos sequatur, melius in mixtis numerandum esse; et si quaerat quispiam, quo codice integro praeter interpolatos librarius cod. Leidensis I usus sit, habemus, cur cod. Parisinum I vel ejus simillimum, non cod. Bongarsianum vel ejus apographum describenti praesto fuisse existimemus; nam ut pauca huius originis vel cognationis vestigia afferam, cod. **b** eadem atque cod. **BR** his locis exhibet: VII. 66. 7. **bBR** non bis] **AMaeg** non. — VIII. 14. 4. **bBR** ita cum palude impedita] **AMaeg** ita palude impedita. — VIII. 48. 7. **bBR** ac si proelio secundo graviter vulneratus] **AMaeg** graviter vulneratus. — VIII. 55. 2. **bBR** belligerandi contendit] **AMaeg** belligerandi. — Quid igitur opus est plura? Certe anceps codicis natura manifesta est, et iure ac merito iudicium Oudendorpii, qui praef. p. V. cod. Leidensem mirae integritatis et bonitatis egregiae esse praedicat, ab existimatoribus improbatur, et recte Nipperdey p. 43 hunc codicem bonitate reliquis interpolatae familiae inferiorem esse docet.

Sed quoniam de similitudine, quae inter codices interpolatos et integros est, disputamus, cum codices alterius generis in complures familias diversae indolis discedant, quarum primae cod. Bongarsianum I et Moissacensum, alterius cod. Parisinum I et Romanum esse supra diximus, inquirere nunc licet, utri familiae codices interpolati similiores sint. Hac re explo-

rata diiudicari poterit, utrum Nipperdey et Holder, qui Bongarsianum I, an Frigell et Dübner, qui Parisinum I et Romanum in primario loco posuerunt, iustam inierint rationem. Recte enim Nipperdey praef. p. 48 scripturam codicis archetypi, quae inprimis sit investiganda, aut in omnium codicum consensu aut in dissensu utriusque familiae ex integris aut denique in consensu alterius integrorum partis et interpolatorum cerni censuit. Licet priores duae Nipperdeii rationes maioris sint momenti quam tertia, tamen haec, cum librarius integri exemplaris nonnunquam aut neglegentia in errores inciderit aut consulto aberraverit, non neglegenda esse mihi videtur; et codicibus alterius integrorum familiae ab altera haud raro dissententibus haud scio an eam ad emendandos Caesaris commentarios plus valere putemus, quae saepius cum interpolatis conspiret. Ad hanc quaestionem solvendam lectiones interpolatorum, et quae cum cod. **AM** et quae cum cod. **BR** conveniunt, in discrimen vocabo. Atque hae sunt:*) I. 1. 7. quae est ad Hispaniam pertinet] qua est ad Hispaniam pertinet. — I. 20. 6. loquatur] loquitur. — I. 25. 6. Et id] et id. — I. 32. 5. tantum] tamen. — I. 34. 3. emolumento] emulomento **B** emolomento **R**. — I. 39. 4. magnum periculum miserabantur (misereabantur **A**) quod non magnum] „non magnum periculum miserabantur“ et sec. m. superscriptum „quod non magnum“ **B** non magnum **R**. — I. 43. 7. quotiens] quoties. — I. 43. 8. auctiores] auctores **B** auctos **R**. — I. 44. 5. hac] ea. — I. 45. 2. Maximo] Maxumo. — II. 1. 4. imperio] in imperio. — II. 14. 5. his] iis. — II. 19. 6. ab his] ab iis. — II. 26. 1. urgeri] argueri. — II. 32. 1. dedidissent] dedissent. — III. 1. 1. Antuatis] Nantuatis. — ibid. a finibus] ab finibus. — III. 2. 3. singillatim] singilatim. — III. 2. 4. sustineri] sustinere. — III. 3. 2. tantum] in tantum. — III. 9. 10. Osismos] Ossismos. — III. 12. 5. magnis] magno. — III. 13. 7. classi] classis. — III. 17. 3. coniunxerunt] convinxerunt. — III. 23. 5. Hi (hii **M**) ii **B** in **R**. — III. 25. 1. cespitibus] caespitibus. — III. 26. 3. his] iis. — III. 28. 1. Menapique] Menapiique. — IV. 1. 10. adduxerunt] abduxerunt. — ibid. frigidissimis] fridigissimis. — IV. 8. 3. velint] vellint. — IV. 15. 2. vi fluminis] in fluminis. — IV. 16. 2. Tenctherorum] Tenctherorum. — IV. 17. 4. fastigate] fastigatae. — IV. 19. 4. perfectum] profectum. — IV. 21. 7. in his] in is. — IV. 21. 8. horteturque ut (hortaturque **a**)] horteturque **R** hortaturque **B**. — IV. 21. 9. ei] et. — IV. 22. 1. his] iis. — IV. 23. 5. maritume (maritime **a**) res] maritum aeres. — IV. 24. 2. onere] onore. — IV. 24. 3. expeditis] expediti. — IV. 29. 4. Neque] nequa. — IV. 34. 5. demonstraverunt] demonstraverant. — IV. 36. 2. hiemi] hiemis. — V. 4. 1. quaeque] quaecunque. — V. 7. 3. dies circiter XXV] circiter XXV. — V. 13. 2. existimatur] existimator **B** existimantur **R**. — V. 14. 5. qui] si qui. — V. 15. 1. ut nostri] ut nim **BR** utrum **C**. — ibid. eos] omnes. — V. 16. 2. desilirent] desilerent. — V. 18. 3. praefixisque] praefixis. — V. 24. 7. atque harum] atque arum. — V. 28. 6. aut] ut. — V. 29. 3. spectare] exspectare. — V. 29. 5. descendisse] discendisse **R** discedisse **B**. — V. 33. 5. ad pugnam] ad pugnandum. — V. 39. 1. Pleumoxios] Pleumoximos. — ibid. fama] forma. — V. 44. 7. verutum (veritum)] verrutum. — V. 44. 8. conanti] conantis **R** conati **B**. — V. 54. 3. satis faciendi] satisfaciundi. — V. 55. 2. Ariovisti] Ariovisto. — VI. 4. 2. mittunt. Adeunt]

*) Quae ante uncus leguntur, lectiones interpolatorum et cod. **AM** sunt, quibus lectiones cod. **BR** post uncus addidi.

mittunt adeum. — VI. 5. 5. bello] bellum. — VI. 8. 6. petierunt] petiverunt. — VI. 12. 4. traducerent] transducerent. — VI. 18. 2. mensium] mensuum **B** mensum **R**. — VI. 21. 5. tegimentis] tegumentis. — VI. 23. 5. nullis] nullus. — VI. 30. 2. ab omnibus] ab hominibus. — VI. 33. 4. Discedens] descendens. — VI. 34. 4. confertos] confertis. — VI. 35. 6. Transeunt] Transeunti. — VI. 37. 7. castra iam capta] iam castra capta. — VI. 44. 2. pronuntiata more] pronuntiat amore. — VI. 44. 3. Agedinci] Acedici. — VII. 17. 5. acciperent] acceperent. — VII. 19. 2. distributi] distributis. — VII. 22. 5. et apertos . . . prohibebent] om. **BR**. — VII. 24. 1. tardarentur (tradarentur **M**) traderentur. — VII. 32. 1. reficit] refecit. — VII. 33. 1. arcesseret] accesseret. — VII. 33. 3. a fratre] et fratre. — VII. 35. 4. ut] in. — VII. 36. 2. civitatum] civitatum.*) — VII. 39. 3. providerat] provideat. — ibid. si se] ne se. — VII. 41. 4. vallo] valle. — VII. 42. 2. habeant] habent. — VII. 45. 7. velit] vellet. — VII. 46. 5. Uotomatus] Uotomatus. — VII. 55. 1. Noviodunum] Noviodonum. — VII. 58. 6. e regione] ex regione. — VII. 61. 5. Metiosedum] Metlosedum **B** Etlosedum **R**. — VII. 62. 3. in fugam] hostes pelluntur atque in fugam. — VII. 62. 6. At incerto] Incerto. — ibid. etiam nunc] nunc etiam. — VII. 65. 1. ipsa coacta] ipsa. — VII. 66. 7. non non bis. — VII. 70. 4. acrius usque] acriusque. — VII. 73. 7. integebatur (tegebatur **AM**) impediabatur. — VII. 76. 3. peditum] pedum. — VII. 76. 5. sustineri] sustinere. — VII. 83. 1. septentrionibus] septrionibus. — VII. 83. 4. civitatum] civitatum. — VII. 86. 3. cohortatur] cohortatus. — VII. 89. 1. necessitatum] necessitatum. — VIII. 13. 2. resistentibus (in resistentibus **a**) in resistendo. — ibid. consueverant (consueverunt **g**) consueverant. — VIII. 13. 4. iudicari] iudicare. — VIII. 14. 4. Ita palude impedita] Ita, cum palude impedita. — VIII. 14. 5. ubi] ibi. — VIII. 17. 1. sex peditum] expeditum. — ibid. conlocaret] conlocarat. — VIII. 18. 3. primum] primus. — VIII. 19. 2. iniretur] inirentur. — VIII. 20. 2. mittantur] mittuntur. — VIII. 23. 6. extimescebant (estimescebant **M**) extimescebant. — VIII. 24. 1. pararet] id pararet. — VIII. 25. 1. partes finium] fines. — VIII. 26. 1. pars] cum pars. — VIII. 27. 1. eodem tempore] eo tempore. — VIII. 30. 1. ascitis (ascitis **A**) receptis] receptis. — ibid. latronibus] latrocinis. — VIII. 35. 1. considunt] considet. — VIII. 36. 1. Qua re] qua. — VIII. 36. 4. equites] equitesque. — VIII. 38. 1. reliquit] relinquit. — VIII. 38. 4. se] suis se. — VIII. 38. 5. ei omnia] omnia. — ibid. accepta] accepto. — VIII. 40. 1. Caesar cum contra expectationem omnium] Cum contra expectationem omnium Caesar. — VIII. 41. 5. pedum] pedes. — VIII. 42. 4. quam quisque poterat] quisque poterat. — VIII. 45. 2. virtutis] virtutem. — VIII. 46. 1. ipse adisset, sed] adisset. — VIII. 46. 3. Narbonam] Narbonem. — VIII. 46. 4. Antonio] M. Antonio. — VIII. 46. 6. recepit hibernavitque] recipit hibernatque. — VIII. 48. 2. quo] quod. — VIII. 48. 3. perfidia interposita] per fidem interpositam. — VIII. 48. 7. graviter vulneratus] ac si proelio

*) Miror quod Nipperdey, Holder, Prammer, qui non temere auctoritatem cod. **AM**, ubi cum interpolatis congruunt, neglexerunt, hoc loco „civitatum“ quod **BR** exhibent, receperunt, cum VII. 83. 4. „civitatum“ secundum cod. **AMag** scripserint cf. etiam VII. 89. 1.

secundo graviter ab eo vulneratus. — VIII. 48. 8. obsidibus datis] obsidibus. — VIII. 50. 4. commendaret petitione] commendaret. — ibid. legationis esset. Exceptus] in cod. **BR** lacuna, de qua infra verba faciam, exstat. — VIII. 52. 2. tantum itinerum faciebat] tantum itinere fatiae. — ibid. ad mutationem] mutationem **B** munitionem **R**. — VIII. 53. 1. transit] transiit. — VIII. 54. 3. Pompeio (Cn. Pompeio interpol.) Pompei. — VIII. 54. 4. C. Trebonium] Trebonium. — Huc adde, quod majores lacunae VII. 22. 5. et VIII. 52. 4. in cod. **BR**, non in interpolatis et cod. **AM** inveniuntur.

His locis, quam accuratissime potero, eos*) addam, ubi cod. interpolati cum familia integrorum, cui cod. **BR** ascribuntur, conveniunt: I. 1. 2. Garunna] Garumna. — I. 9. 4. sese] se. — ibid. perfecit] perficit. — I. 14. 1. accidisset] accidissent. — I. 14. 3. posse] posset. — I. 19. 2. populum] populum romanum. — I. 21. 4. Considius] P. Considius. — I. 22. 2. a gallicis armis] e gallicis armis **A**, gallicis armis **M**. — I. 32. 3. permanere] permansere. — I. 36. 2. se] sese. — II. 4. 9. Velocasses] Velocassess. — II. 23. 1. iis] his. — II. 27. 1. commutatio est facta] commutatinem facta (**M** cum cod. **BR** recte). — V. 5. 4. perpaucos] paucos. — V. 9. 1. littore] litore. — V. 33. 6. quae] quae **A** que **M**. — V. 36. 3. impetrari] impetrare. — V. 41. 5. his] hiis. — V. 58. 4. videret] viderit. — VI. 32. 3. tres partes] tris partis. — VII. 8. 4. possint] possent. — VII. 12. 6. destrictis] districtis. — VII. 19. 1. leviter] leniter.***) — VII. 55. 9. initiendi] iniciendi. — VII. 58. 3. Sequana] Sequanae. — VII. 58. 6. ab his] ab iis. — VII. 80. 4. hi] ii. — VII. 80. 6. excitabant] excitabat. — VII. 82. 1. ac] et. — VII. 83. 4. deligunt] diligunt. — VII. 84. 1. mulculos] musculos. — VIII. praef. 3. legent] legerent. — ibid. possint] possent. — VIII. 4. 1. recepit] recipit. — VIII. 8. 1. hostes] hostis. — VIII. 19. 1. Correo] Corbeo. — VIII. 43. 2. suspensi] ignari **A** ignorari **M**. — VIII. 54. 4. C. Fabium]. Qu. Fabium **M**, de cod. **A** non liquet.

Videmus igitur codices interpolatos cum integris **AM** multis locis, rarius cum codicibus **BR** congruere. Atque profecto ad verba archetypi indaganda illa consensione tanquam ansa dari mihi videtur. Nam consentaneum est eos codices integros, qui pluribus locis, ubi neque mendum aut interpolatio deprehendatur, neque oratio ab Caesaris dicendi ratione abhorreat, cum interpolatis conspirent, archetypi speciem atque imaginem magis quam ceteros prae se ferre. Nec recte Vielhaber, qui cod. **BR** nimium tribuit dignitatis, ad VIII. 25. 1. (Ztsch. f. ö. G. XXI. p. 539) monuit eos locos, ubi in interpolatis eadem atque in cod. **AM** legantur, saepius a vetere quodam critico temptatos esse; equidem ubi integri **AM** cum interpolatis congruunt, locum interpolatione vacare existimo. Itaque Nipperdeio et Holdero astipulor, qui inprimis Bongarsiano, qui interpolatis est similior, obtemperaverunt; atque hanc rationem in emendandis Caesaris libris constantius sequendam esse censeo; nam nonnunquam illos viros ab hac sua ratione recessisse iam ex iis apparet, quae p. 10. in annotatione dixi, et facile plura addi possunt. Iniuria contra Frigell codicibus interpolatis paene neglectis nimiam auctoritatem codicibus **BR** tribuit, et ipse hanc suam rationem improbandam esse videtur intellexisse, nam in praef. I. p. XI. ita dicit: „Ac timeo ne tenacior videar eorum, quae in **PR** (i. e. in **BR**) legantur.

*) Quae in interpolatis et cod. **BR** leguntur, lectionibus **AM** praecedunt.

**) Alii critici alia referunt de hoc loco; cf. Hold., Nipperd.; sequor Frigellium.

Ex quibus etiamsi sint ea, quae accuratius examinata forsitan retineri non possint, tamen, cum per humanam imbecillitatem non liceat in omni re aequabilitatem servare, istius modi lectiones temptandas, ut ita dicam, stitisse minus sine dubio damnosum est minusque vituperandum quam nimia celeritate quae tradita essent reiecisse“. Quamquam multa possum exempla afferre, ubi Frigell temere auctoritatem codicum **BR** sequitur, satis habeo unum attulisse, unde emendandi ratio illius existimatoris optime eluceat; nam cum VI. 35. 6. cod. **BR** „transeunti“ exhibeant, ille „justa scriptura codicum **AMaeg** „transeunt“ prorsus reiecta in falsa lectione suorum codicum „transeunt ii“ latere existimavit, quod perperam in textum recepit.

At praeterquam quod in tanta dissensione integrorum codices interpolati multis locis ad iusta verba scriptoris, qualia in archetypo exstabant, investiganda pertinent, tamen ipsi suas et proprias habent virtutes, quae in causa sunt, cur nemo criticus in emendandis libris Caesaris illorum rationem omnino non habuerit. Atque, ut id quod non parvi momenti est, primum commemorem, soli codices interpolati lacunis carent, ita ut in iis commentarii pleni contineantur. Neque satis habeo potiores tantum lacunas vel omissiones, quas Holder p. VII. affert, commemorare, sed omnia, quae in cod. integris, non in interpolatis desiderantur, etiamsi nonnulla levia videntur, enumerare mihi liceat. Quae quidem in codicibus primum omissa, postea demum addita sunt, praetermittam, quod non satis apparet, utrum ab librario ipso, an ab correctore sint profecta, velut Holdero teste in cod. **A** I. 14. 4. quodque tam diu se impune iniurias tulisse admirarentur II. 5. 5. et post eum quae essent, tuta ab hostibus reddebat IV. 29. 2. deligatae a secunda manu addita sunt. Etiam quae in cod. **C** omittuntur, quippe qui partim cum cod. interpolatis, partim cum cod. integris, ut supra demonstravimus, consentiat, afferre supersedebo. In omnibus igitur codicibus integris haec omissa sunt: I. 43. 9. deinde; II. 4. 6. fines; II. 17. 4. inflexis crebrisque; II. 24. 2. ab; II. 25. 3. in; III. 8. 4. rerum; III. 13. 9. et; IV. 5. 3. ru(moribus); IV. 22. 2. (tant)ul(arum); IV. 23. 6. aperto; IV. 25. 1. erat; V. 1. 1. Lucio; V. 7. 3. locis; V. 17. 2. partibus; V. 17. 4. se; V. 29. 6. in; V. 41. 6. in; V. 47. 4. si; VI. 28. 5. a; VI. 39. 3. tam; VII. 8. 2. mons; VII. 12. 2. Biturigum, positum in via, Noviodunum; VII. 13. 3. rebus; VII. 15. 1. fit; VII. 15. 2. quod se prope; VII. 24. 2. et; VII. 35. 3. po(sitis); VII. 35. 6. traductis; VII. 36. 1. desperavit, de obsessione; VII. 45. 2. mulorumque produci deque his stramenta; VII. 50. 1. pugnaretur; VII. 64. 3. se; VII. 73. 1. (eo)dem; VII. 73. 4. erant; VII. 73. 5. Ante; VII. 73. 7. in(tegebatur); VII. 80. 5. factum; ibid. poterat; VII. 83. 4. milia; VIII. 11. 1. nisi; VIII. 12. 3. aggredierentur; VIII. 16. 1. turmas mittit. Nonnullae omissiones singularum familiarum codicum integrorum sunt propriae, velut codicum **AM**. I. 43. 3. esse; III. 4. 2. Nostri; III. 7. 1. in, quod etiam cod. **a** omittit; III. 9. 7. atque apertissimo; IV. 19. 2. per; IV. 19. 4. in; V. 17. 4. neque consistendi aut ex essedis deliendi;*) VII. 24. 2. is; VII. 46. 3. omni spatio vacuo relicto superiorem; VII. 49. 1. latere; VII. 65. 3. cum; VII. 72. 1.

*) V. 47. 3. Holder solus in cod. **AM** verba „Fabius-occurrit“ omissa esse refert; cum autem alii taceant, illum erravisse verisimillimum est.

solum; VII. 73. 7. in(tegebatur); VII. 76. 2. et; VII. 77. 10. in; VIII. 24. 2. M. (i. e. Marcum). Crebriores sunt omissiones, quae in uno cod. **A** inveniuntur: I. 35. 2. quae; I. 40. 1. eos; I. 40. 14. castra; II. 5. 2. salutis; II. 31. 6. quam ab his per cruciatum interfici, inter quos dominari; III. 3. 4. et; III. 8. 5. recipere; IV. 7. 3. haec; IV. 28. 1. supra; V. 12. 1. interior; V. 15. 3. spatio; VI. 35. 8. hanc; VII. 23. 5. et; VII. 72. 3. quindecim; VIII. 28. 5. credentes; VIII. 39. 2. ad — c. 43. 3. nostri, quae quidem verba ex pessimo codice suppleta esse Nipperdey p. 39 monet; VIII. 49. 3. defessam; VIII. 52. 1. summa usque ad finem. — Ex codice **M**, cuius variae lectiones minus diligenter excussae sunt, parvae omissiones illius propriae a criticis referuntur: I. 22. 2 a; I. 40. 13. suam innocentiam perpetua vita, felicitatem Helvetiorum bello esse perspectam; II. 19. 6. ut intra silvas aciem ordinesque constituerant atque ipsi sese confirmaverant; IV. 7. 1. esse; V. 46. 3. legatum; VI. 16. 3. hominis; VIII. 8. 3. irent. — Codices **BR**, qui ejusdem familiae sunt, non multas quidem omissiones, sed maiores habent lacunas. Praetermissa enim haec sunt: I. 23. 1. ac; I. 31. 8. se; IV. 21. 8. ut; V. 7. 3. dies; VII. 22. 5. et apertos cuniculos — prohibebant; VII. 61. 1. ut; VIII. 30. 1. ascitis; VIII. 38. 5. ei; VIII. 42. 4. quam; VIII. 52. 4. (Cae)saris causam. — c. 53. 2. admonebantur; praeterea ordo verborum post c. 50 valde turbatus est; nam inde pergitur „quo maiores sperarent (pro pararent)“ necessitates etc., quae verba c. 53. 2. sequuntur. Quae quidem interciderunt, ad calcem libri post sollemnem librorum subscriptionem addita sunt omissis illis, quae c. 52. 4. „(Cae)saris — c. 53. 2. admonebantur“ leguntur. Praeterea in cod. **B** I. 3. 5. in civitate; I. 7. 3. locum — c. 20. 4. averterentur; III. 23. 8. ad; V. 44. 10. illum — c. 48. 6. Gallus; VI. 11. 4. institutum; — c. 13. 10. iudiciisque; VIII. 17. 1. cum; in codice **R** V. 15. 1. in; VI. 20. 1. uti ad magistratum deferat neve cum quo alio communicet; VI. 27. 2. si; VII. 85. 4. missum; VIII. 40. 4. autem omissa sunt.

Videmus igitur in optimis codicibus integris praeter crebras omissiones tot tantasque lacunas inveniri, ut nisi ex cod. interpolatis verba supplerentur, commentarios Caesaris haberemus truncatos. Interpolati quidem codices omissionibus non omnino carent, sed nunquam in iis perpetuitas verborum ita discinditur, ut sententiarum ratio perturbetur, cuius rei exempla Heller in Philol. XVII. p. 504 sq. affert. Quae cum ita sint, vir ille doctissimus l. c. p. 502 et 504 non iniuria codices, quos usitato nomine integros vocavimus, lacunosos nominari iubet, et cum in his additionibus non peccetur, difficillimum esse statuit diiudicatu, utrum quae in interpolatis leguntur, in his addita, an in lacunosis omissa sint (Philol. XVII. p. 309. XIX. p. 487. XXXI. p. 317.). Quo certius de ea re iudicari possit, rationem interpolandi, qua librarius ille in commentariis recognoscendis usus sit, examinari opus est, quam quidem rem, quod nunc parum ad excurrendum spatii mihi datum est, in altera dissertatione suscipere mihi in animo est. Certe iam inde, quod codices integri tam lacunosi sunt, ut compluribus locis prorsus deficient, sequitur, ut codices interpolati aliquantum valeant.

Sed quo magis appareat, quantum his codicibus tribuendum sit auctoritatis, iam docebo, quibus locis ii, qui nostris temporibus libros Caesarianos ediderunt*) non nisi codices inter-

*) Editiones Whittii I. et III., Schneideri, Nipperdeii, Kraneri, Frigellii, Dübneri, E. Hoffmanni, Dinteri II., Holderi, Prammeri in iudicium vocavi.

polatos sequendos esse censuerint, et praeter omissiones, quas supra commemoravi, et nomina geographica, quod de eorum scriptura etiamnunc non satis constat, omnes afferam lectiones, etiamsi nonnullae parum idoneae esse videantur, ex quibus illorum codicum dignitas eluceat. Et mirum est, quod in prioribus quidem libris rarius critici scripturam cod. interpolatorum amplexi sunt, in posterioribus, imprimis in septimo et octavo libro, saepe eorum lectionem adhibendam esse duxerunt, unde apparet hos codices in his quidem libris haud exigua esse dignitate. In his igitur praestant cod. integris: I. 39. 5. quique (quique qui **b**)] ut quisque. — I. 40. 8. hos, si quaerent, reperire posse] hoc, si quaerent, repperiri posse, quam lectionem integrorum Vielhaber (Ztschr. f. öst. Gymn. XV. p. 35.) frustra tueri studet. — I. 43. 3. adducerent] adduceret. — I. 43. 8. sui] suis. — I. 53. 7. ter sortibus] tergoribus. — II. 17. 4. posset] possit. — II. 17. 5. existimaverunt] extimaverunt **AB** estimaverunt **R**. — II. 23. 4. at totis] attonitis **AR** adtonitis **BC** antonitis **M**. — II. 29. 3. latitudinem] altitudinem. — III. 4. 1. gaesaque (gesaque **a**)] caesaque. — III. 13. 9. relictæ] rei relictæ. — III. 18. 1. hac] ac. — III. 25. 1. acciderent] accederent. — III. 26. 2. intritæ (integrae **f**)] interritæ. — III. 29. 3. reduxit] perduxit. — IV. 1. 4. bellandi causa] bellandi ex causa (**A** om. causa). — IV. 2. 4. ephippiis] etphiapiis **ABR** ephiapiis **M**. — IV. 5. 3. rumoribus] moribus. — IV. 6. 5. evocatis] vocatis. — IV. 13. 6. gavisus (gaius **a**)] gravius **ABCRM** cf. Vielhaber l. c. XVII. p. 231, qui falso „graviter incusatus“ scribi iubet. — IV. 22. 1. pollicerentur] pollicentur. — IV. 22. 2. tantularum] tantarum (tantorum **M**). — IV. 22. 3. LXXX] DCCCLXXX **M**, octingentis octoginta **BCR**. — IV. 26. 1. perturbabantur] perturbantur. — IV. 28. 2. deicerentur] deiceretur **A** deiecerentur **BCR**. — IV. 29. 4. hiemari] hiemare. — IV. 35. 1. ut si] et si. — V. 10. 1. milites] milite. — V. 12. 4. taleis **abc** (aleis **eg**)] aleis. — V. 15. 4. perterritis] pertemptis **ABCR** peremptis **M**. — V. 22. 1. dum] cum. — V. 22. 4. quid] quod **ABM** quot **CR**. — V. 23. 4. reicerentur (reficerentur **b**)] reficerentur. — V. 24. 3. Munatium (Munitium **b**)] Munacium **AM** Muncium **ACR**. — V. 28. 6. esse] esset, quod Vielhabero (l. c. XVII. p. 235) placuit. — V. 29. 6. in utramque partem] in utraque parte. — V. 29. 7. non praesens periculum] praesens periculum non. — V. 32. 2. nostris] nostrorum. — V. 33. 1. accidere] accedere, quod etiam in cod. **B** exstare videtur cf. Frig. II. p. 47. — V. 41. 5. inveterascere] inveterescere. — V. 44. 4. interpolati simul cum **C** cum] dum. — V. 44. 8. hic casus] huic casus. — V. 47. 5. remittit (mittit **b** pr. m.)] dimittit. — V. 49. 5. postero die] postera die. — V. 51. 4. ea] eas. — V. 56. 2. puberes armati] puberes et armati. — V. 56. 5. praecipit] praecepit. — VI. 4. 1. Acco] Acico. — VI. 5. 4. Germanis] Germanos. — VI. 8. 8. excesserunt] excesserant. — VI. 10. 5. hanc] ac. — VI. 13. 7. ex contagione, quod etiam **A** sec. m. habet] ex cogitatione **ARM** et cogitatione **C**. — VI. 19. 4. omniaque quae] omnia quaeque. — VI. 20. 2. imperitos **eg**] impeditos. — VI. 22. 2. quantum et quo loco] quantum ei quo loco. — VI. 27. 1. alces (altes **ef**)] altes. — VI. 32. 5. tum] tunc. — VI. 33. 5. rei publicae commodo] rei populi romani commodo. — VI. 35. 9. ne murus (numerus **eg**) quidem] numerus quidem. — VI. 40. 6. potuerunt] potuerant cf. Vielhaber l. c. XVII. p. 242. — VII. 1. 4. conciliis] consiliis. — VII. 1. 5. initium] initia. — VII. 1. 7. possit (posset **b**)]

posset. — VII. 1. 8. acceperint] acceperant. — VII. 2. 2. possint] possent. — ibid. quo] quod. — VII. 4. 3. Hac] Ac. — VII. 4. 6. adiungit] adiungunt. — VII. 6. 3. arcesseret] arcerseret (arcessiret **C** sec. m.). — VII. 7. 1. Lucterius] Lucretius cf. VIII. 39. 1. — VII. 9. 6. quos ibi (quo sibi **g**)] quod sibi. — VII. 11. 8. Caesar] Caesari. — VII. 14. 4. deleri (delere **b**)] diligi **AMR** deligi **BC**. Neque opus est coniectura Oudendorpii „deici“, quam Dübner fortasse praeferendam esse scripturae cod. interpolatorum censet. — VII. 17. 7. praestare] praestaret, quod etiam cod. **a** sec. m. habet. — VII. 19. 6. consolatus] consolatos. — VII. 20. 4. illic] illis. — VII. 20. 5. impelleretur, quod etiam ex integris **AMR** sec. m. exhibent] impelletur. — VII. 20. 6. intervenerint] intervenirent. — VII. 23. 2. introrsus interpolati praeter **eg**] extrorsus. — VII. 25. 2. scorpione] scurpione. — VII. 31. 4. deminutae] diminutae — VII. 33. 1. descenderet] discederet. — VII. 35. 3. positus] sitis. — VII. 36. 7. deiecto interpol. simul cum **M**] deiectos **BCR** deiecti **A**. — VII. 45. 7. ne] qui. — VII. 46. 3. in longitudinem] in longitudine. — VII. 47. 6. demissae] dimissae. — VII. 47. 7. L. Fabius] Labius. — VII. 50. 4. sibi desperans] sui desperans. — VII. 51. 4. paulo minus] paulum minus. — VII. 52. 3. quos] quod cf. Vielhaber l. c. XXI. p. 534. — VII. 54. 3. compulsos] et compulsos. — VII. 56. 2. abiuncto] adiuncto. — VII. 59. 3. tum] cum. — VII. 59. 5. tum] cum. — VII. 62. 6. septimae (vel VII) legionis] a septima legione. — VII. 62. 8. contra castra Labieni] contra Labienum. — VII. 63. 5. re in controversiam deducta] et rem in controversiam deduci. — VII. 63. 8. ferunt interpol. simul cum cod. **M**] fuerunt. — VII. 64. 5. Eporedorigis] Eporedigeris **AM** Eporodigeris **BR** cf. c. 66. 6. — VII. 66. 6. quo] quod. — VII. 68. 3. confidebant] confidebat. — VII. 69. 5. macciam **ae**] materiam cf. c. 70. 5. — VII. 70. 3. animus] amimis. — VII. 71. 1. dimittere] demittere. — VII. 71. 2. possint] possent. — VII. 72. 2. spatium] spatio. — VII. 72. 4. aggeris] aggeres. — VII. 73. 1. eodem tempore] eo tempore. — VII. 73. 4. quini erant (qui inierant **af**) ordines] quini ordines. — VII. 73. 5. cod. interpol. neglecta coniunctione relativa ante hos obliquis ordinibus] quos obliquos. — VII. 73. 7. virgultis integebatur] vinculis impediabatur **BR** vinculis tegebatur **AM**. — VII. 73. 8. ducti] iuncti. — VII. 73. 9. infixis] infixae. — VII. 74. 1. pares vel paris] pari. — VII. 75. 1. frumentandi rationem vel frumenti rationem, quod ex cod. **df** promptum Dübnero videtur magis aptum esse, quamquam non recepit] frumentationem. — VII. 76. 1. atque ipsi Morinos] quae ipse Morinis **AM** quae ipsi Morinos **BCR**. — VII. 76. 3. consobrinus] consubrinus. — VII. 77. 1. concilio coacto de exitu] concilii coacti de exitu **R** concilii coacto **BC** consilio exitu **A** consilio quo acto de exitu **M**. — VII. 77. 5. mollitia] molestia. — ibid. rep(p)eriuntur, quod etiam **A** in rasura videtur habuisse repperiantur vel reperiantur. — VII. 77. 8. cod. interpol. cum cod. **C** LXXX] LXXXX, sed in cod. **B** quartum X erasum, in cod. **B** expunctum est. — VII. 77. 10. Romanos] Romanorum animos. — VII. 78. 1. experiantur] expediuntur. — VII. 78. 2. tamen potius] tamen tempore potius, quod ex compendio „tampo“ ortum esse Dübnero visum est. — VII. 79. 2. milia passuum III, quod mutato quidem ordine verborum in omnibus interpolatis legitur] quatuor milia passuum. — VII. 80. 5. recte ac (cod. **eg** „aut“, quod Whittio et Frigellio magis placuit) turpiter factum celari poterat] recte (recti **BCR**) ac turpiter celari. — VII. 82. 1. ab munitione] ad munitionem. —

VII. 83. 3. C. Caninius a C. Caninus e L. Caninus g] Lucius Caninius. — VII. 83. 4. regionibus] legionibus. — ibid. LX. i. e. LX milia] LX. — VII. 84. 1. paraverat] paraverant. — VII. 88. 4. Sedulius] Asedullus. — VIII. 1. 3. incommodi] incommoda**B** incommode **C**. — VIII. 4. 1. sestertios vel sestercios] sestios. — VIII. 6. 2. Correo] Corbeo cf. c. 17. 1. c. 18. 3. c. 19. 8. c. 20. 2. c. 21. 4. — VIII. 7. 6. sese offerre, pro quo etiam mutato ordine verborum legitur „offerre se“] offerent se. — VIII. 7. 7. adduceret] adduceret et. — ibid. permanere] permaneret. — VIII. 8. 3. irent] iret. — VIII. 9. 3. muniri] munire. — VIII. 9. 4. qui ghi, reliqui interpolati cum integris] quo. — ibid. propior interpol. cum **M**] propior **AB** proprio **C**. — VIII. 10. 2. eadem] eodem. — VIII. 10. 3. dispersi pabulatores] dispersis pabulatoriis. — VIII. 11. 1. oppugnari] oppugnare. — VIII. 13. 2. interpositi] interpositis, quod Vielhaber XXI. p. 538 commendat. — VIII. 15. 3. absolutis **abcd** absolutos **eg**] ac solutis. — VIII. 16. 1. in itum] in ita **BCR** intum **A**. — VIII. 19. 2. interpolati] interpositis. — VIII. 19. 5. itineribus] in itineribus. — VIII. 27. 3. eum locum] non eum locum. — VIII. 28. 3. subsistentes] subsistentibus. — VIII. 33. 1. quo] quod. — VIII. 34. 4. possit] posset. — VIII. 36. 2. in trina castra] intra castra. — VIII. 39. 1. Lucterio] Luterio. — VIII. 41. 2. e regione] regione. — VIII. 41. 4. suspicione interpol. simul cum cod. **M**] susceptione. — VIII. 48. 10. consulibus simul interpol. cum cod. **M**] concessis **BCR** cons. se **A**. — VIII. 51. 1. Tum] Cum. — VIII. 53. 2. pararent (parerent **e**)] sperarent, quod etiam **bc** praebent. — VIII. 54. 2. Caesaris] Caesari. —

Si quis integrorum falsas lectiones accuratius perspexerit, longe plurimas librarii incuria ortas esse inveniet; et revera praeterquam quod lacunas habent, mendum codicum integrorum perraro tam penitus latet, ut levi mutatione facta loco corrupto medicina afferri nequeat. Sed accedunt satis multi loci, ubi codices interpolati iusta verba scriptoris videntur retinuisse, quos nunc afferre animum induxi. Cum vero genuinae an adulterinae sint hae lectiones, inter criticos non satis conveniat, et alii scripturam interpolatorum receperint, alii abiecerint, me eas lectiones illorum codicum, quae probandae mihi videntur, quantum potero, veras ac genuinas paucis verbis efficere opus est. Neque eos locos praetermittam, ubi verba cod. interpolatorum non veram scripturam ipsam, vestigia quidem eius indagandae exhibere mihi videntur, velut I. 39. 7. —

I. 39. 6. secundum cod. **efgC** „et magnitudinem“ scribendum est, neque recte Nipperdey Frigell Hoffmann asyndetum, quod ab hoc loco alienum est, statuerunt. — I. 39. 7. Cod. interpolati „renuntiabant“, cod. integri „nuntiarant“ praebent; illud a Schneidero, hoc a ceteris praeter Nipperdeium, Whittium, Hoffmannum receptum est, qui cod. interpolatos ex parte secuti „nuntiabant“ exhibent. Certe tempus plusquamperfectum post imperfecta, quae praecedunt, suspensionem movet, et tantum contorta interpretatione defendi potest. Itaque imperfectum praefendum est; sed cum „renuntiare“ ii dicantur, qui id, quod cognoscere iubentur, reversi nuntiant, in prima syllaba verbi mendum videtur inesse. Simplex autem verbum, quod integri tradunt, huic loco aptum ne putaveris; nam centuriones et praefecti, postquam imperatorem, qui sit animus militum, docuerunt, postremo ei non solum narrant, sed cum gravitate quadam declarant milites dicto ei non audientes fore. Cum igitur nomine denuntiandi saepe haec vis contineatur cf. I. 14. 6, hoc loco Caesarem denuntiabant scripsisse verisimillimum est. — I. 41. 3. neque unquam ex cod. **abegC** cum Nipperdeio, Hoffmanno,

Dintero, Prammero legendum est. Constat quidem Caesarem etiam V. 35. 4. particulas „nec . . neque“ usurpasse, sed nusquam „nec“ ante vocales apud eum scriptum videmus, ita ut pro voce vulgata „necopinans“ „inopinans“ semper substituerit cf. I. 12. 3. VI. 37. 3. alibi. -- I. 42. 6. Caesarem facere, omisso pronomine „ei“, quod integri habent, veram esse scripturam inde apparet, quod pronomen, si spurium non esset, ad milites legionis decimae, non ad legionem decimam referendum est. Iniuria igitur Frigell vocem „ei“ retinuit. — I. 43. 9. Verbis „postulavit deinde eadem“ omnes praeter Frigellium et Dübnerum, quibus Vielhaber (Ztsch. f. ö. G. XV. p. 36) astipulatur, vocem „deinde“ ex interpolatis inseruerunt, quae post „commemoravit“ . . „docebat etiam“ vix desiderari potest. — I. 45. 1. „et“ ante „neque . . neque“ Whittio auctore recte omnes praeter Nipperdeium et Schneiderum omiserunt; nam illis enuntiationibus multa illa, quare Caesar negotio desistere non potuerit, explanantur cf. Madvig Advers. II p. 249. -- I. 49. 3. perterrerent, quod cod. interpol. exhibent, non „terrere“, quod ex cod. integris petitum Frigell et Dübner tumentur, praeferendum est; nam Caesar omnibus fere locis illo composito utitur; semel tantum hac sententia simplex verbum legitur VII. 84. 4. — I. 53. 1. pervenerunt (pervenerent a pervenirent b), quae lectio cod. interpolatorum fere omnibus probata Holdero displicuit, qui cod. integros secutus „pervenerint“ scripsit; sed cum huic loco vis finalis, ut ita dicam, desit, indicativus suum locum tenet ut VII. 25. 4. VII. 47. 3. Cf. Hoffmann Konstruktion der lat. Zeitpartikeln p. 175. — I. 53. 6. Mirum est, quod Frigell et Dübner plusquamperfectum „viderat“, non imperfectum „videbat“, quod est interpolatorum, receperunt; illud tempus prorsus ineptum est, et Dübner ipse in Addendis imperfectum praeferendum esse censet. Cf. Heller Phil. XIX. p. 477. XXXI. p. 322. — II. 4. 6. cod. interpolati habent: Suessiones suos esse finitimos; fines latissimos feracissimosque agros possidere, cod. integri „fines“ omittunt. Schneider, Holder, Prammer illos codices recte secuti sunt, Whitte, qui in prima editione vocem „fines“ tuitus est, in editione tertia uncis inclusit. At cum illa vox huic loco sit aptissima cf. I. 2. 5. angustos fines VIII. 2. 2. latos fines, et cum post „finitimos“ facile excidere potuerit, nec collocatio adjectivorum a Caesaris more abhorreat cf. II. 24. 1: equites nostri levisque armaturae pedites b. c. III. 34. 2. cum cohortibus V paucisque equitibus, nescio cur illam vocem interpolatam esse putemus? At cf. Frig. II. 2. p. 28. — II. 4. 7. cod. interpol.: summam (summa e) totius belli, cod. integri: „suam totius belli summam“, quod Nipperdeio, Schneidero, Hoffmanno, Frigellio, Dübnero placuit. Melius ceteri critici, in iis Whitte, quamquam in editione prima „summam totius belli summa“ coniecit, scripturam cod. interpolatorum amplexi sunt; nam semper vox „summa“, si cum genetivis „imperii“ vel „belli“ coniuncta legitur, his praecedit cf. II. 23. 4. III. 17. 2; et facile fieri potuit, ut librarius, postquam falso „suam“ pro „summam“ scripsit, hanc vocem postea inseruerit, cf. Madvig Advers. II. p. 250, Koch, Ztschrft. f. Gymn.-Wesen XV. p. 599, Heller Philol. XIX. p. 473. — II. 5. 5. commeatus . . ut sine periculo ad eum portari possent secundum cod. interpolatos omnes praeter Nipperdeium et Whittium scripserunt, qui „posset“ habent. Sed quamquam hac significatione persaepe numerus singularis, pluralis tantum III. 3. 2. et III. 23. 6. invenitur, tamen nostro loco, quod non de uno, sed pluribus commeatibus agitur, pluralis optime sese habet; cf. VIII. 30. 1. VIII. 47. 2; nec quod I. 48. 2. „frumento commeatuque, qui ex Sequanis et Aeduis supportaretur“ legitur, moveor, ut

codices integros sequar, cum „frumentum commeatusque“ semper cum singulari numero verbi coniunctum sit. — II. 7. 1. isdem secundum cod. interpolatos, non secundum integros „hisdem“ vel „iisdem“, quod Whittio, Frigellio, Dübnero placuit, scribendum est. Nam cum etiam in cod. optimis II. 3. 5. III. 12. 4. VII. 41. 2. „isdem“ et litera h addita II. 7. 1. III. 3. 3. VII. 35. 5. „hisdem“ inveniatur, cod. vero interpolati illam formam dativi et ablativi pluralis ubique exhibeant, praeterquam quod VII. 41. 2. „eisdem“ et I. 17. 5. „iisdem“ in iis legitur, non dubito, quin Caesar solam scripturam „isdem“ usurpaverit etiam I. 17. 5. et VII. 41. 2. restituendam esse censeo. Certe non formam „iisdem“ exhibendam esse Cicero orat. 47. 157. docet (cf. Neue II. p. 143.) — II. 14. 3. Falso in optimis codicibus „ad Caesarem“ legitur, in interpolatis melius „a Caesare“, quod Schneider et Whitte receperunt. Sed cum etiam aliis locis cod. interpolatorum pro „ab Caesare“ „a Caesare“ inveniatur cf. III. 24. 4. V. 27. 2. V. 40. 1. alibi, etiam hic „ab Caesare“ vera scriptura est putanda, quam plurimae editiones exhibent. — II. 15. 4. ad luxuriam pertinentium, quae verba in cod. interpolatis post „rerum“ sequuntur, Nipperdey, Frigell, Dinter omiserunt, et Dübner, quod haec receperit se paenitere in Addendis fatetur. Sed haec verba non supervacanea, sed necessaria videntur esse cf. Heller Phil. XXXI. p. 323; nam enuntiatio causalis, quae sequitur, nisi additis illis verbis intellegi non potest. Etenim non omnes res, quibus mercatores, quorum Galliam illis temporibus refertam fuisse Cicero (pro Fonteio V. 11.) tradit, quaestum exercebant, eae erant, quae ad effeminandos animos pertinerent. — II. 19. 6. ita ut . . . confirmaverant, quae lectio interpolatorum est, a Nipperdeio, Frigellio, Dübnero, Hoffmanno, Dintero, qui secundum cod. opt. „ita“ omiserunt, reiecta, ceteris probata est. Sed cum in cod. **ABR** „ita“ post „ordines“ positum inveniamus, hanc vocem genuinam esse existimo et errore librarii, qui ab eo versu in alium aberraverit, eam suo loco motam esse verisimile est cf. Vielhaber Z. f. ö. G. XV. p. 37. — II. 21. 5. scutisque tegimenta detrahenda cod. interpolati magno consensu (**abefgC**), . . . detruenda cod. integri **BR** . . . detrudenda **AM** praebent. Illam scripturam praeter Whittium Frigell et Dübner, etsi alibi fere semper integros pluris, quam par est, aestimant, non iniuria in textum receperunt; ceteris „detrudenda“ placuit persuadente Schneidero in illa propinquitate hostium militibus tegimenta non detrahenda, sed maiore vi et contentius deicienda i. e. detrudenda fuisse. Sed, quod sciam, verbum detrudendi hac notione neque apud Caesarem neque apud alios scriptores illius aetatis invenitur, et exempla, quae Schneider affert, alio spectant. Contra „detrudere“ saepius hac sententia legitur cf. Liv. XXIII. 19. 13: detractasque scutis pelles, neque video, cur huic voci in illo verborum contextu notio festinandi non insit. Itaque vulgatum in ea re vocabulum, quod interpolatorum est, probo, et Dübner, quomodo mendum integrorum ortum sit, ostendit. — II. 23. 4. cod. integri „quo“ (quod **M**) servant, recte interpolati cum exhibent, quod omnibus praeter Holderum placuit, qui „quom“ ex libidine recepit, cf. Schneider ann. crit. — II. 24. 4. in interpolatis „castra compleri nostra, legiones“ (**b** sec. m.), vel mutato ordine verborum „castra nostra compleri, legiones“ (**aefg**), in integris „castra compleri, nostras legiones“ (**AMBR**) vel „castra nostra compleri, nostras legiones“ (**C** et nonnulli deteriores) leguntur. Ut codices hoc loco, ita etiam critici dissentiunt, et Schneider Vielhabero (Z. f. ö. G. XV. p. 38) probante deteriores Frigell et Hoffmann meliores codicum integrorum secuti sunt; Nipperdey (cf. p. 64.) utrumque pronon-

men omnino tolli voluit, ceteri scripturam interpolatorum amplexi sunt. Neque iniuria, nam salva perspicuitate priore loco pronomen omitti nequit, verum altero prorsus supervacaneum videtur, cf. Heller Phil. XIX. p. 478. XXXI. 325 sq. — II. 30. 4. turrin in muro sese collocare confiderent Schneider, Nipperdey, Dübner, Hoffmann, Dinter (hic addita voce „posse“) secundum interpolatos, „turrin in muros sese collocare confiderent“ Whitte et Frigell secundum integros, „turrin moturos sese confiderent“ (cf. Kraner Observationes Misenaë 1852 p. 5 et 26) Kraner et Prammer scripserunt. Lectionem integrorum spuriam esse inde apparet, quod Caesarem neque uno hoc loco verbum ponendi cum praepositione „in“ et accusativo coniunxisse, neque in tanta sua perspicuitatis studio prae-positionem „in“ pro „adversus“ substituere putandum est, quod insuper ineptum mihi videtur, cum etiam procul constituta turris adversus muros fuerit collocata cf. Schneider. ann. crit. Itaque interpolatorum scripturam praestare persuasum habeo, sed aliter atque superiores verba interpreter. Minime enim mihi persuaserim barbaros illos tanta fuisse stultitia, ut turrin tanti ponderis in urbis muro, qui magna altitudine fuit, collocatum iri putarent. Optime vero Gallis artis, qua Romani in oppugnandis oppidis utebantur, imperitis agger, quem Romani extruxerant, tanquam murus apparere poterat, et cum colle adverso agger vel murus ab extrema parte satis magna esset altitudine, habebant Galli, cur admirarentur, quomodo Romani turrin in hoc aggere vel muro collocaturi essent cf. Rüstow, Heerwesen u. Kriegsführung C. J. Cäsars p. 145: Bisweilen, aber nur ausnahmsweise wurden die Türme auf den Belagerungsdamm gesetzt. Dies scheint aber nur da geschehen zu sein, wo man, um sich der Stadt zu nähern, auf einer ansteigenden Fläche hätte vorgehen und dann den Damm wenigstens an seinem Anfangspunkte eine sehr beträchtliche Höhe geben müssen . . . So war es z. B. vor dem festen Platze der Aduatucker. — II. 34. in dicionem potestatemque populi romani, quae in interpolatis leguntur et Kranero, Dintero, Prammero probantur, propterea mihi placent, quod genetivus, cum nomina particula „que“ coniuncta arte cohaereant, ad utrumque referendus videtur cf. IV. 3. 4. VII. 43. 4. b. c. I. 42. 2. Itaque scripturam „deditionem“, quod integri exhibent, improbandam esse censeo. —

At ne angustum spatium, quod mihi ad disserendum conceditur, transeam, lectiones codicum interpolatorum, quas veras esse puto, in brevi conspectu ponam, ita ut his adulterinas lectiones codicum integrorum addam.

III. 1. 6. hic **efgC** (hinc **bc**) . . flumine divideretur Schn. Np. Wh. Kr. Fr. Db. Hff. Hld. Pr.] hinc . . flumen divideretur (**AMBR**); hunc . . flumen divideret Dn. — III. 9. 9. primum bellum gesturum Dn. Hld. Pr. cf. Dittenberger Hermes III p. 375] primum esse bellum gesturum Schn. Np. Wh. Kr. Fr. Hff. Db. — III. 17. 2. his Schn. Np. Wh. Kr. Hld. Hff. Dn. Pr.] iis Fr. Db.; cf. c. 17. 3. Mirum est Frigellium et Dübnerum saepissime pronomine „is“, quod in integris legitur, non pronomine „hic“, quod ex interpolatis promptum ceteri omnes critici optimo iure comprobaverunt, recepisse. — III. 19. 5. est certior factus Wh. Fr. Pr.; „certior factus est“ secundum cod. **b** Np. Kr. Db. Hff. Dn.] certior factus Schn. Hld. Cum vero talis ellipsis nusquam apud Caesarem inveniatur, non habeo, quod cod. interpolatis diffidam. — III. 20. 4. hi] ii **BR** (iis **AMC**) Fr. solus. — III. 26. 6. recepit Schn. Wh. Kr. Fr. Db. Pr. Dn. ed. I.] recipit Np. Hff. Hld. Dn. ed. II. — III. 29. 3. proxime **adegi** (proximae **f**) Schn. Np. Hff. Hld. Pr. Dn. cf. Schnei-

deri ann. crit.] maxime **AC** (maximae **BR** pr. m.) Wh. Kr. Fr. Db. — IV. 2. 2. importatis Np. Wh. Kr. Hff. Fr. Db. Dn. Pr.] importatis his Schn. et Hld., qui voce „Germani“ uncis inclusa „importatis hi“ scripsit. — IV. 10. 4. diffluit. Wh. Pr.] defluit Schn. Np. Kr. Fr. Db. Hff. Dn. Hld. — IV. 12. 4. in his Schn. Np. Kr. Hff. Dn. Hld. Pr.] in iis Wh. Fr. Db. — IV. 13. 4. opportunissima] opportunissime Hld. solus; cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XVII. p. 231, qui Nipperdeio suadente deleta voce „res“ „opportunissime“ scribi iubet. — IV. 16. 6. occupationibus reipublicae] occupationibus populi romani Fr. Db. soli, quamquam verba quid valeant, non intellego — IV. 20. 2. adisset, genus Wh. Fr. Db. Dn. cf. Heller. Phil. XIX p. 476] adisset et genus Schn. Np. Kr. Hff. Hld. Pr. Falso Schneider locum, qui I. 46. 1. legitur, attulit; nam ibi duo tantum membra exstant, ita ut „accedere et . . . equitare“ unum, „lapides . . . conicere“ alterum membrum enuntiati efficiat, id quod hoc loco non statuendum est. — IV. 23. 6. aperto ac plano litore] ac plano litore Frig. solus. — IV. 27. 1. sese facturos] facturos esse **BC** Np. Fr. Db. Hff. Pr.; facturos sese **A** Schn. Kr. Wh.; „facturos“ Apitzio auctore Hld. Dn. Sed cum post verbum pollicendi, nisi accus. c. infin. praesentis sequitur velut IV. 21. 5. VI. 9. 7, nunquam pronomen „se“ a Caesare omissum sit, certe hoc loco ponendum est, et fortasse cod. Bongarsianum I sequeretur, nisi collocatio pronominis insolens esset, cf. Heller. Phil. XIX. p. 467; contra Vielhab. Z. f. ö. G. XVII. p. 231. — IV. 38. 2. quo superiore anno perfugio erant usi (quo perfugio superiore anno erant usi **abdefg**) Wh. Schn. Dn. Hld. Pr.] quo superiore anno perfuerant usi; quo superiore anno perfugio fuerant usi Np. Kr. Fr. Db. Hff. — V. 1. 2. ac multitudinem] ad multitudinem Np. Hff. soli. — V. 2. 1. his] iis Fr. Db. soli. — V. 3. 2. Indutiomarus cf. Dio Cass. 40, 11. 31. Oros. VI. 10.] Induciomarus **BM** (Induciomaris **A**) Schn. solus. — V. 7. 3. in his locis] in iis locis Fr. Db. soli. — V. 10. 2. His] iis Fr. Db. soli. — V. 11. 4. possit] posset, quod omnibus criticis falso probatum est; nam Hoffmann (Studien auf dem Gebiete der lat. Syntax p. 39. sq.) evidenter demonstravit omnia enuntiata relativa, quae superlativum restringunt, cum eodem tempore verbi coniungi atque enuntiata, quibus inserta sunt. — V. 11. 8. Cassivellauno cf. Glück p. 174.] Casivellauno Schn. Db. soli. — V. 14. 5. ex his Schn. Np. Kr. Db. Hff. Pr.] ex iis Wh. Fr. Hld. Dn. — V. 15. 1. ita tamen ut Schn. Pr.; nam ante vocem „tamen“ „ita“ facillime intercidere potuit; quod si omissum esset, oratio in salebra haereret cf. Schn. ann. crit.] „tamen ut“, ceteri. — V. 17. 3. post se] post Fr. solus. — V. 18. 4. His] iis Fr. solus. — V. 20. 4. his] iis Wh. Fr. — V. 22. 1. in his locis] in iis (hiis **M**) locis Fr. Db. — ibid. his] iis Wh. Fr. Db. Dn. — V. 23. 2. his] iis Fr. solus. — V. 24. 3. his] iis Fr. solus. — V. 25. 1. cuius] huius Fr. solus. — V. 23. 3. inimici multis palam ex civitate auctoribus interfecerunt (inimici palam multis — iam palam multis **b** — ex civitate auctoribus interfecerunt **aefg**) Schn. Db. Pr. Dn. II. cf. Madvig Adv. II. p. 253. inimici multis palam ex civitate auctoribus eum interfecerunt Fr.] inimicis multis palam ex civitate et iis auctoribus Np. Kr. Hff. Dn. I inimici multis palam ex civitate iis auctoribus Wh. I. inimici quidam multis palam ex civitate caedis (cf. Koch, Ztschft. f. Gymnas. XV. p. 599, qui Davisium secutus in verbis „et iis“ „caedis“ latere dicit) auctoribus eum interfecerunt Wh. III. inimicissimi multis palam ex civitate auctoribus interfecerunt Hld., qui Paul. (Ztschft. f. Gymnas. XXXII. p. 197.) sequitur; Vielhaber (Z. f. ö. G. XVII. p. 233.)

integrorum scripturam retinens vocem „palam“ ex verbo „expulerunt“ corruptam esse existimat. Cum integrorum scriptura sine dubio corrupta sit, interpolatorum vero nihil habeat offensionis, hos sequi non dubito, neque inde, quod eorum lectio recte sese habet, cum Paulo l. c. colligo eam a critico quodam expolitam esse, ita ut ex corruptis integrorum verbis vera scriptura repetenda sit. — V. 33. 3. minus facile **e** (non facile **abfg**) per se omnia obire fere omnes] minus facere omnia per se obire Fr. omisso vocabulo „facere“. — V. 37. 7. elapsi Wh. Schn. Kr. Db. Dn. Hld. Pr. Fr.; hic quidem „lapsi“ in textum recepit, sed in Corrigendis et Addendis „elapsi“ legi vult; cf. Heller Phil. XIII. p. 372] lapsi Np. Hff. — V. 38. 3. duos] duo Hld. solus. cf. Neue II. p. 105 sq. — V. 43. 4. undique] ubique Fr. solus. — V. 44. 10. illum veruto transfixum arbitrantur; illum veruto arbitrantur occisum Np. Kr. Wh. Hff. Db. Dn. Pr. cf. Heller Phil. XIX. p. 478] illum vero opinantur occisum Fr. illum veruto opinantur occisum Hld. auctore Vielhabero Z. f. ö. G. XVII. p. 236; illic vero obscusat ocus gladio Schn. secundum cod. deteriores. Has varias lectiones intuenti scrupulus mihi incitur, num religiosi existimatoris sit genuina verba scriptoris partim ex interpolatis partim ex integris repetere. Cum illorum scriptura non offendamur, quidni totam amplectamur? an integri, etiam ubi corrupti sunt, tantum ad emendandum Caesaris sermonem valent? — V. 46. 3. qua sibi (quas ibi **f** qua ibi **b**) iter faciendum sciebat Schn. Np. Wh. Kr. Db. Hff. Pr. Hld.] qua sibi **C** (quas ibi **A** quas sibi **M**) iter faciendum (iter sit faciendum **M**); qua sibi sit iter faciendum Fr. Dn. cf. Heller Philol. XIX. p. 506 qui hoc probat: qua sibi scit iter faciendum. — V. 47. 4. veritus, ne (om. „ne“ **ae**) si ex hibernis fugae similem profectionem fecisset, hostium etc. Schn. Dn. Hff. Pr., praeter hos Fr. et Db., quorum ille Oudendorpio auctore „si“ ante „similem“, hic post „hibernis“ inserit cf. Heller Phil. XXXI. p. 516] veritus ne ex hibernis fugae similem profectionem fecisset, ut hostem etc. Np. Kr. Wh. Hff. — V. 52. 4. ex his] ex iis (hiis **M**) Fr. solus. — V. 58. 1. arcessendos] accersendos Fr. solus. — VI. 1. 1. delectum (delatum **a**) Wh. Np. Kr. Hff. Hld. Pr.] dilectum Schn. Fr. Db. Dn.; idem § 4. — VI. 1. 3. sarciri (resarciri **b**) Wh. Dn. Hld. Pr. confirmante Paulo Ztschft. f. Gym. XXXII. p. 165.] „resarciri“ ceteri. — VI. 2. 3. Aduatucos Menapios Wh. Kr. Hld. Dn. Pr. cf. Dittenberger ann. crit. p. 391] Aduatucos ac Menapios Schn. Np. Fr. Db. Hff. — VI. 7. 7. nonnullos gallicis Np. Kr. Wh. Db. Dn. Hff. Hld. Pr.] nonnullos Gallos gallicis Schn. Fr. — VI. 11. 2. in singulis domibus Wh. Schn. Kr. Db. Dn. Hff. Hld. Pr.] singulis domibus Np. Hff. Fr., qui quidem in Addendis „in“ legi iubet. — VI. 16. 1. natio est omnis Gallorum Wh. Np. Kr. Hff. Pr.; nam in iis, quae Caesar c. 12–20. tradit, non omnes Galli, sed Galli celtici dicuntur, quod ex initio c. 11. et 21. apparet cf. Vielhab. Ztschft. f. ö. G. XVII. p. 238] natio est omnium Gallorum Schn. Fr. Db. Dn. Hld. cf. Heller Phil. XIX. p. 491 sq. Facillime librarius errore inductus vocem „omnis“ genetivo „Gallorum“ adiungere potuit. — VI. 33. 5. possint Np. Wh. Kr. cf. Nipp. p. 85 et Heller Phil. XXXI. p. 517 sq.] possent Schn. Fr. Db. Dn. Hff. Hld. Pr. — VI. 34. 2. ubi cuique (ubicumque **b**) fere omnes] ubicumque Wh. Fr. cf. Heller Phil. XIX. p. 484. — VI. 34. 6. si...vellet (vellent **b**)] si...vellent Fr. solus, qui verba non ad legatum pertinere censet. — VI. 34. 8. omnes evocat Wh. Dn. Hld. Pr. auctore Paulo Zschft. f. Gym.-W. XXXII. p. 167] „omnes ad se vocat“ ceteri. — VI. 43. 3. a tanta multitudine Sch. Wh. Kr. Dn. Hff. Pr. cf.

Schneider ann. crit. et Heller Phil. XXXI. p. 518] tanta multitudine Np. Db. Hff. — VII. 4. 3. delectum (delatum **a**) dilectum Schn. Fr. Db. Dn. — VII. 4. 7. jubet Np. Wh. Schn. Kr. Dn. Hff. Hld. Pr.] jussit Fr. Db. — VII. 5. 6. ponendum Schn. Fr. Db. Pr. cf. Schneideri ann. crit.] „proponendum“ ceteri. — VII. 8. 2. mons Cevenna fere omnes, nec fieri potuit, ut Caesar vocem omitteret cf. V. 6. 1. montem Iuram VII. 56. 2. mons Cevenna] Cevenna Fr. Db. — VII. 8. 4. neu (ne **f**) se ab hostibus diripi patiatur Schn. Wh. Db. Hld. Pr. cf. Schneideri ann. crit.] neve ab hostibus (ab omnibus **A**) diripiantur Np. Kr. Fr. Hff. Dn. cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XXI. p. 529. — VII. 8. 5. in Arvernos versus fere omnes cf. c. 7. 2. in provinciam Narbonem versus] Arvernos versus Fr. Db. Cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XVIII. p. 614, qui „per Boios in Arvernos versus“ scribi vult. — VII. 11. 6. contingebat cf. Schneideri ann. crit. Madvig Advers. II. p. 254] continebat Np. Kr. soli. — VII. 14. 2. pabulatione et commeatu fere omnes] pabulatione aut commeatu; pabulatione ac commeatu Fr. Db. — VII. 14. 3. quod fere omnes] ut; „cum“ Fr.; qua ex scriptura, quantopere hic lectiones interpolatorum aspernatus sit, cognosci licet. — VII. 15. 2. quod se prope cf. Schneideri ann. crit. fere omnes] om. integri; Fr. et Db. non solum haec verba, sed etiam verbum „confidebant“, quod sequitur, omiserunt. — VII. 15. 3. Deliberatur fere omnes cf. Schneideri ann. crit.] Dicebatur Schn. Fr. cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XV. p. 39, qui non inepte „disceptatur“ commendat. — VII. 17. 5. infecta re] incepta re Fr. solus. — VII. 21. 2. copiis fere omnes] locis Fr. Db. — VII. 25. 4. omni ex parte **a** Np. Kr. Fr. Dn. Hff. Hld. Pr. omni parte **bcde** Schn.] omni ea parte Db. — VII. 27. 1. intra vineas (juxta vineas **b**) fere omnes cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XXI. p. 529.] extra vineas **AM** extra castra vineas **BCR**; Hellero auctore (Phil. XIX. p. 534) Holder et Prammer „inter castra vineasque“ scripserunt; intra castra Dn. — VII. 28. 4. caede genabensi vel melius cenabensi (Glück p. 57 sq.) cf. Paul. Berlin. Phil. Wochenschr. IV. p. 1211 sq.] „caede Genabi“ vel Cenabi falso omnes editores. — VII. 29. 7. ab iis] ab his Schn. solus. — VII. 31. 1. donis pollicitationibusque] bonis pollicitationibus Fr. Db. soli cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XXI. p. 538. — VII. 35. 1. Cum uterque utriusque esset exercitus in conspectu poneret Schn. Wh. Db. Dn. Pr. Hld. cf. Heller Phil. XIX. 496. Eberz N. Jahrb. 1857 p. 851 sq.] Cum uterque utrimque exisset exercitus, in conspectu ponebat] Np. Fr. Hff. cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XXI. p. 531. Nec silentio praetermittenda est coniectura Pauli (Berl. Phil. Wochenschr. 1884 IV. p. 1273 sq.) qui vestigia integrorum secutus proponit legendum: Cum uterque utrimque perrexisset exercitus, in conspectu ponebat etc. — VII. 36. 1. de oppugnatione desperavit; de obsessione Wh.; de expugnatione desperavit; de obsessione Np. Kr. Fr. Db. Dn. Hff. Hld. Pr.] de expugnatione Schn. — VII. 40. 3. C. Fabium Np. Kr. Wh. Dn. Hff. Hld. Pr.] Fabium Schn. Fr. Db. — VII. 44. 3. sed silvestre (silvestrem cod. interpol.) et angustum Wh. Pr. cf. Madvig Adv. II p. 255] sed hunc silvestrem et angustum Np. Schn. Kr. Hld.; sed hunc locum silvestrem etc. Dn.; sed hinc silvestre etc. Oudendorpio praeunte Heller Phil. XXXI. p. 522 sq.; Dübner asterisco locum corruptum esse indicavit et Hoffmanno videtur adstipulari, qui scribit: dorsum esse ejus iugi silvestre et angustum, sed hinc prope aequum, qua esset aditus etc. Sed cum lectione interpolatorum, in quibus vocabulo „silvestre“ falso litera „m“ addita est, difficultas facile expediatur, illam sequendam esse censeo. — VII. 45. 3. vagentur

pervagentur **ab** (pervagarentur **eg**) solus Dintenberger ed. 11 cf. Procksch. cons. temp. 1874. p. 13.] vagarentur. — VII. 45. 6. illo ad munitionem Schn. Wh. Dn. Hld. Pr. cf. Koch Ztsch. f. Gym.-W. XV. p. 601] illo munitionum Np. Kr. Fr. Db. Hff. cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XXI. p. 533, qui verba „ad munitionem“ glossema esse putat. — VII. 47. 1. legionisque Schn. Wh. Kr. Db. Dn. Hld. Pr.] legionique Np. Fr. Hff. — VII. 47. 2. At **aeg**, quam lectionem etiam Frig. in Addendis probat. Schn. Db. Hld. Pr. cf. Schneideri ann. crit.] ac Nip. Wh. Kr. Fr. Hff. — VII. 50. 3. de muro praecipitabantur **eg** Fr. Db. Pr. de muro praecipitantur **abcd** Schn. Wh.] muro praecipitabantur Np. Kr. Dn. Hff. Hld.; „de muro“ propterea genuinum esse duco, quod nusquam apud Caesarem verbum „praecipitare“ cum Ablativo solo coniunctum invenimus; nam b. c. V. 11. 1: saxa . . . promovent praecipitataque muro in musculum devolvunt, ablativum magis ad verbum finitum quam ad participium pertinere Schneiderus ann. crit. docet. — VII. 56. 2. ut . . . converteret, ut nemo tunc quidem, **aefgi** ut . . . converteret, ut nemo tum quidem Fr. ut . . . converteret, ut non nemo tunc quidem Schn. Db.; ne . . . converteret, ut nemo non (non nemo Pr.) tum quidem Np. Kr. Dn.; ut . . . converteret, minime tum quidem Wh. ed. I; ut . . . converteret id neutiquam Heller Phil. XIX. p. 505 sq; ne . . . converteret ut nemo non ei tum quidem Metzger Blätter f. d. Bayr. Gym.-Wesen XIX. p. 527] ut . . . converteret ut ne metu quidem Hff. Hld. Vielhab. Z. f. ö. G. XV. p. 42. qui vocem „ita“ post „existimabat“ inserit; ut . . . converteret, id ne metu quidem Wh. ed. III. auctore Madvigio Adv. II. p. 259. Cum lectio cod. integrorum apto sensu carere mihi videatur, nisi fallacem et captiosam interpretationem adhibueris, codices interpolatos sequendos esse duco addito vocabulo „non“, quod ante „nemo“ facile intercidere potuit. Neque habeo, cur „ut“, quod in antecedenti enuntiato legitur, in „ne“ et „tunc“ in „tum“, commutandum esse putem. — VII. 58. 6. profecti a (**abeg**)palude Schn. Wh. Kr. Fr. Dn. Hff. Hld. cf. Madvig Adv. II. p. 255. Heller Phil. XIX. p. 502; proiecta palude Np.; praesepti palude Hff. Db.] prospecta palude; pro sepe obiecta palude Koch Ztsch. f. Gym.-W. XV. p. 601. Integrorum lectionem ineptam esse nemo est, qui neget; sed cum ea, quae in interpolatis leguntur, nihil habeant offensionis cf. Müller de bello gallico 1855 p. 28 Eberz Ztsch. f. d. A. W. 1855 No. 16, quidni ea retineamus? Itaque Dübner in Addendis hanc interpolatorum lectionem comprobat. — VII. 62. 8. victorum] victorumque Fr. qui quidem in Addendis „victorum“ scribi jubet. — VII. 67. 1. una a primo agmine Schn. Kr. Wh. Db. Dn. Hld. Pr., quae scriptura etiam Frigell in Addendis commendat] una primo agmine Np. Fr. Hff. Praepositionem desiderabis, nisi loquendi consuetudini Caesarianae adversaberis cf. Heller Phil. XIII. p. 372. — VII. 67. 3. consistit] constitit Fr. solus. — VII. 71. 5. qua erat nostrum opus intermissum **eg** Schn. qua nostrum opus erat intermissum Wh. Fr. Dn. Pr. Hld.] quam (quiam **A**) opus erat intermissum **BC**; qua opus erat intermissum Np. Kr. Db. Hff. Nonne litera „m“ corruptae vocis „quam“ est testimonio in cod. integris illud vocabulum, quod compendio scribebatur, omisum esse? — VII. 71. 8. recipit (recepit **g**) Fr. Kr.] „recepit“ ceteri omnes. Sed vix credibile est Caesarem, cum tempora praesentia et antecedant et sequantur, hoc uno loco perfecto usum esse cf. Heller Phil. XIX. p. 479. — VII. 73. 5. Ante hos obliquis ordinibus Schn. Wh. Hld.] quos obliquos ordinibus; ante quos obliquis ordinibus Np. Kr. Db. Dn. Pr. Hff. Cum lectionem integrorum falsam esse constet, interpolati soli

nulla ratione integrorum habita audiendi sunt. — VII. 73. 1. cuique civitati Schn. Wh. Fr. Db. Hff. Pr. cf. Madvig Adv. II. p. 255] cuique ex civitate Np. Kr. Dn. Hld., quam lectionem Nipperdey p. 105 frustra tueri studet. — VII. 76. 3. CCL. Np. Dn. Pr. Hff. Hld. cf. Nip. p. 106] CCXXXX Schn. Wh. Kr. Fr. Db. Interpolatos verum numerum exhibere Orosius VII. 11 docet. — VII. 77. 8. Quid hominum (quid in hominum **b**) Schn. Np. Kr. Wh. Dn. Hff. Hld.] Quid in hominum; Quid enim hominum Fr. Db. Pr. cf. Vielhab., Z. f. ö. G. XV. p. 43, qui voce „in“ neque omissa neque mutata interpretatur: bei den Leichen von etc. — VII. 77. 10. animine causa] sine causa Fr. solus. — VII. 78. 4. orabant Np. Kr. Wh. Fr. Dn. Hff. Hld. Pr.] orant Schn. Db. — VII. 79. 1. longius] longe Fr. solus. — VII. 81. 4. ac glandibus Gallos] Gallos glandibus; Gallos grandibus Fr. solus. — VII. 82. 1. interibant cf. Neue II. p. 347] interiebant Hld. solus, qui nonnunquam, quae consuetudini sermonis Caesariani repugnant, in textum recepit cf. II. 23. 4. quom V. 8. 1. re frumentariae; praeterea non paucis locis accusativum in „is“ desinere vult, quamquam codices id non suadent cf. VII. 83. 8. alibi. — VII. 85. 1. quaque in parte Wh. Kr. Fr. Hld.] quaque ex parte Np. Schn. Db. Dn. Hff. Pr. Praeterquam quod saepius praepositio „in“ quam „ex“ hac sententia apud Caesarem legitur cf. IV. 32. 1. VII. 15. 2. VII. 61. 3. VII. 67. 2. et 4. VII. 80. 6, natura verbi hoc loco praepositionem „in“ videtur postulare. — VII. 87. 4. equitum partem se sequi **eg** (equitum se partem sequi **bcd**) Schn. Wh. Kr. Db. Dn. Hld. Pr.] equitum partem sequi Np. Fr. — VII. 88. 3. appropinquant] appropinquabant Fr. solus; vide quae ad VII. 71. 8. annotavi. — VIII. 8. 1. prodirent Fr. Dn. Hld. Pr.] prodiret Np. Kr. Db. Hff. Cum interpolati simul cum cod. **BCR** hostes, cod. **AM** hostis praebeant, verisimilius est integros numero verbi, ut saepius cf. VII. 4. 6. VIII. 8. 3. VIII. 13. 1. criticos destituere. — VIII. 10. 4. inflabantur Wh. solus suadente Madvigio Adv. II. p. 255] nitebantur, quod hoc loco sensu carere contendo. — VIII. 12. 6. inflantur Np. Kr. Dn. Hff. Hld. Pr. cf. Heller Phil. XIX. p. 450.] inflammantur Wh. Fr. Db. — VIII. 13. 1. intermittunt **eg** (intermittit **a**) Np. Wh. Kr. Fr. Dn. Hld. Pr.] intermitti Db. Hff. Sed cum infinitivus historicus apud Hirtium alibi non inveniatur, scriptura interpolatorum recipienda est cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XXI. p. 538. — VIII. 14. 1. isdem Np. Dn. Hld. iisdem reliqui] hisdem cf. ea quae ad II. 7. 1. annotavi. — VIII. 16. 1. promovet, turmas mittit **abeg** (promovet et turmas mittit **cd**)] promovet et turmas mittit Wh. solus. — VIII. 16. 2. fumum Wh. Db. Dn. Hld. Pr.] summum iugum Np. Kr. Fr. Hff. cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XVIII. p. 620; v. Göler Cäsars Gallischer Krieg I p. 347. „fumum iugem“ scribi vult. — VIII. 24. 3. impetu eorum Wh. ed. I Hld. impetu Pr.] impetu incolae illorum; impetu illorum Np. Kr. Db. Dn. Hff. cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XXI. p. 539; impetu Illyriorum Fr., impetu Istriorum Wh. ed. III cf. Madvig Advers. II. 259 sq. Sine dubio lectio integrorum corrupta est, et cum ea, quae in interpolatis leguntur, optime sese habeant, quidni eorum scripturam amplectamur? — VIII. 33. 1. excelsissimo loco **deg** (excellensissimo loco **abc**) cf. c. 42. 4. excelso loco] celsissimo loco Fr. solus, quamquam nusquam apud Caesarem hoc vocabulum invenitur. — VIII. 36. 1. a milibus non amplius XII Wh. Dn. Hld. Pr. cf. Vielhab. Z. f. ö. G. XXI. p. 541 qui numerum XII in VII vel V. mutari vult] a milibus non longe amplius XII; a milibus longe non amplius XII Np. Kr. Db. Hff.; a milibus longe XII. Fr.; vocabulum „longe“ ex margine in textum integri exem-

plaris videtur irrepsisse. — VIII. 36. 3. hostes Wh. Fr. Db. Pr.] hostis Np. Kr. Dn. Hff. Hld. — VIII. 42. 4. Ita quam quisque poterat interpol. simul cum M. (codex A deficit) Wh. Dn. Db. Pr. Hld. cf. Heller Phil. XXXI. p. 525; Vielhab. Z. f. ö. G. XXI. p. 542, cui quidem „itaque qua quisque poterat“ magis videtur placere] ita quisque poterat **BRM**; ita quisque ut erat Np. Kr.; ita quisque prout erat Fr. Hff. — VIII. 43. 4. permanerent **aeghi**, quod etiam codicem **A** prima manu, quae hic rursus appareat, habuisse Nipperdey refert] permanebant Fr. solus. — VIII. 49. 2. sub decessum suum Wh. Fr. Db. Pr.] sub decessu suo **BRC** sub discessu suo **AM**; sub decessu suo Np. Kr. Dn. Hff. Hld. — VIII. 50. 4. insequentis anni Fr. Db. Dn. Pr. cf. Heller XIX. p. 476] sequentis anni Np. Wh. Kr. Hff. Hld. Semper Hirtius hac sententia verbum compositum adhibuit cf. VIII. 48. 10. VIII. 23. 1. VIII. 28. 1.; neque eum hoc loco ab usitata dicendi ratione recessisse verisimile est. — VIII. 52. 4. Pompei Np. Kr. Dn. Hff. Hld. Pr.] Pompeii Wh. Fr. Db.; § 5. et c. 53. 1; praeter interpolatos etiam cod. M. „Pompei“ exhibet. — VIII. 54. 4. C. Trebonium] Trebonium Fr. Db. soli. —

Quod has lectiones codicum interpolatorum comprobo genuinasque duco, ne modum transierim, minime vereor; nam tantum abest, ut integrorum lectiones temere reiecerim, ut contra non secutus sim interpolatos, nisi si aut verba inscitia vel fallacia librarium corrupta videbantur aut ab oratione Caesaris usitata abhorrebant. Neque enim commentariorum sermonem adeo perpolitum et ab omni parte perfectum puto, ut omnia, quae ab optima dicendi ratione recedant, adulterata esse ducam, cum iniquitas rerum et temporum, quibus Caesar commentarios conscripsit, impedimento fuerint, quominus librum retractaret et castigaret; huc accedit, quod scriptor vulgari sermone non abstinuit cf. V. 47. 5: tria milia passuum longe ab suis castris, al. Itaque etiamsi in optimis codicibus oratio scriptoris non semper elegans invenitur velut II. 27., tamen hanc ob causam auctoritatem his codicibus abrogandam et interpolatis, qui orationem exhibeant emendatiorem, obtemperandum esse non censeo. Et in diiudicandis codicum diversi generis lectionibus ne animi celeres quosdam motus secutus esse neve prae interpolatis codices integros neglexisse videar, paucos locos afferre liceat, ubi, quamquam illorum scriptura valde mihi arrisit, tamen cum ea, quae integri exhibent, defendi possint, hos codices quam illos sequi malui. V. 42. 3. cod. interpolati „cogebantur“, integri „videbantur“, deteriores cod. Colbertinus et Borbonianus „nitebantur“ habent, quam lectionem Whittio praeunte Nipperdey, Kraner, Dinter, Dübner amplexi sunt, cum etiam IV. 24. 4. in cod. Bongarsiano I. „vitebantur“ pro „nitebantur“ legi meminissent. Egoquidem lectionem interpolatorum et loco et usui scriptoris plane accommodatam esse fateor, sed cum „videbantur“ quod integrorum est, si passive dicitur, ferri possit, cum Hellero Phil. XXXI. p. 513. horum lectionem retineo. — VII. 36. 4. interpolati „periclitaretur“, quod Schneider Whitte, Kraner, Frigell, Dübner receperunt, integri „perspiceretur“, quod Holdero, Prammero placuit, exhibent. Nipperdeio auctore Dinter et Hoffmann propter verbum activum „intermittebat“, quod praecedit, secundum nonnullos codices deteriores et Parisinum II. sec. m. „perspiceret“ scripserunt, quod Frigell in Addendis probat. Nimirum interpolatorum lectio speciosa est, attamen non habeo, quod lectionem optimorum codicum asperner, quae quidem non pura est atque elegans, sed minime falsa. — VIII. 35. 5. scriptura interpolatorum „cum . . caperet“ a Whittio et Schneidero recepta est, quos non iniuria indicativus plusquamperfecti post coniunctionem „cum“ positus, qui in **BCR**

